Justa Catholicorum adversus Dissidentes in Polonia à Religione Expostulatio.

I.

Quae de Religione dissidia, Poloniæ Regnum turbant ac vexant, gravia adeò sunt & infesta, ut nisi mature tollantur, brevi possint rem omnem publicam ad exitium pene & vastitatem vocare. Nulla autem erit planior, nulla expeditior ad comprimenda hominum ingenia, animosque inter se conciliandos via, quam si, seposito partium studio, ea, de quibus est contentio, Religionis jura firmentur, & quae aut qualia sint definiantur: Sic enim errore sublato facile fiet, ut qui hæc miscent & negotium nobis facessunt, se colligant aliquando, & ab injusta oppugnatione desistant.

2. Negant Catholici ullo jure vel privato vel publico Polonorum, licere Acatholicis, seu à 'Religione Dissidentibus, in Senatu, in Conclavi Nuntiorum, in Judiciis & Jurisdictionibus habere locum, jus agere, Templa publicè ædificare, & libero religio-

religionis suæ exercitio frui ultra, quam Legibus cautum sit. Addunt etiam illud, in pluribus Acatholicorum ditionibus, fas non esse Catholicis sub pœna publicationis omnium bonorum, palam se Catholicos profiteri. In aliis, ex. gr. in Hollandia, nemo unus Catholicorum ad Magistratus admittitur; adeo ut ne Notarius quidem postremus Catholicus esse possit. Ibidem Sacella quidem in constitutis locis ex Magistratuum auctoritate permittuntur; sed privata atque ita occulta, ut foris dignosci minime possint: intus in ipsis Privatorum Domibus sunt, & nonnisi exiguas per scalas aut gradus, ex ipsa porticu domestica ad illa aditus patet. Ad hæc, summum est nefas, Sacerdotem in publicum proprio habitu prodire. Jn Anglia vero longe adhuc deterior res est Catholicorum. Londini enim, nonnisi apud ipsos Legatos Externos Catholicos privatim Res Sacra peragitur. Hæc cum animadvertant, non intelligunt, qua de causa Rex Catholicus, Catholicumque Poloniæ Regnum apud se Dissidentes meliori conditione habere debeat quam habeantur in Regnis Dissidentium Catholici. Hæc illi.

3. At Dissidentes, quorum genus varium est ac multiplex, contra pugnant acriterque contendunt, à Catholicis non eâ secum agi ratione, quæ jure optimo sit constituta: etenim totam hanc rem ad solemnes conventiones referri volunt, quæ Catholicos inter, atque Acatholicos intercesserint. Itaque, quod in Anglia, in Hollandia, in Moscovia, in Svecia, in Dania, nulla prorsus inita est conventio, quæ Catholicos muniat; sic, inquiunt, iis Regnis atque Principibus licebit, suo pro arbitrio agere cum Catholicis. In Germania vero, cum Heterodoxorum aeque ac Catholicorum res, & Tractatu Vestfalico, & variis Comitiorum Imperii decretis, cautæ & firmatæ sint, omnes norunt, utrosque suis ibidem Legibus tranquille & tuto frui. Pari igitur jure suam hanc cum Poloniæ Catholicis causam definiendam esse confirmant. Quamobrem, sicuti in iis Catholicorum Regnis, in quibus nullo inito fœdere Dissidentibus provisum est, Dissidentes ipsi voluntati Principum subjiciuntur; ita in Poloniæ Regno omnia habere communia cum Catholicis volunt, quod solemnibus & pactis & conventis hoc sibi juris concessum sit atque permissum

missum. Quod ut doceant, solemnes quosdam Tractatus afferunt, quos aut ipsi Dissidentes cum Poloniae Catholicis, aut Polonorum Respublica cum Externis Regibus Principibusque sancivit: ad hos ipsos Principes confugiunt, eos appellant, & in Patriam ipsam concitant; cum dicant ad Majestatem imperii fidemque publicam vel maxime interesse, Tractatuum hujusmodi vim auctoritatemque defendere. Hæc præsentium discordiarum causa est & origo.

4. Jtaque ut res in aperto sint, & omnis controversia tollatur, Fœderum istorum verba & sententiæ diligentissime sunt inspiciendæ: Et quoniam *Pax Religiosa* à Dissidentibus primo objicitur, ab hac nobis est exordiendum.

PAX RELIGIOSA.

5. Hæc Pax in Annum incidit 1573. eique *Religiosae* nomen obvenit, quod haberet propositum dissidia de Religione componere, quæ tunc Rempublicam exagitabant. Incredibile quidem dictu est, quantum hinc præsidii, quantum tutelæ sibi Dissidentes polliceantur. Verum rectene sit id, an perperam, ex brevi ejusdem Pacis historia patebit locupletissime. Et ne quispiam dubitet de fide monumentorum, unde hæc ipsa hausimus, sciat habere nos auctorem inprimis gravissimum Antonium Mariam Gratianum postea Episcopum Amerinum, qui, quod tunc erat Cardinali Commendoni Legato Apostolico à Secretis, toti huic negotio interfuit, ac præsens vidit.

6. Decesserat Anno 1572. Sigismundus Rex Augustus Jagellonum Regum postremus, cujus negligentiâ commissum fuerat, ut contra legum latarum vim non pauci omnium Ordinum Poloni, & hæretica labe secreto inficerentur, & furtim malisque artibus ad quædam in Regno munera & Magistratus irreperent. Interim de eligendo novo Rege cogitari cœptum est. Acatholici, qui contra Legum severitatem nullo se jure munitos vident, & suspectum habent pium quemque Regem Catholicæque Religionis studiosum; laborant, trepidant, festinant, ut se in tuto collocent, suisque rebus prospiciant. Itaque collatis inter se

consiliis, quod ratione nequeunt, id assequi per fraudem moliuntur.

7. Vertente jam Anno 1572 habentur Comitia Convocationis ad ea mature paranda, quibus creando Regi opus erat. (a) In his & singula statuuntur, de quibus ad Regia Comitia in annum proximum cogenda referretur; & opportune commune fœdus sancitur, quo per interregni tempus publicae securitati consultum foret. Omnia pacate liberaliterque tractantur. Quare sub ipsum Comitiorum finem plerique Catholici nihil insidiarum subesse rati, domum discedunt: (b) Consulto Acatholici ad unum omnes subsistunt. Hi ubi se numero suffragiorum potiores vident, meditatum facinus aggrediuntur. Præsentibus notivum quemdam Articulum marte suo conflatum, & in Comitiorum Acta inserendum proponunt, qui specie, nihil nisi communem tranquillitatem præseferebat; re tamen Religioni Orthodoxæ fatalis erat, quippe qui pœnas abrogabat, quibus jam pridem Hæretici per Leges Regni addicebantur. Deinde quidquid calliditate & audacia possunt, id experiuntur, ut imprudentibus imponant & Articulus præscribatur. Fraus & insidiæ vicerunt; multique Catholicorum, qui remanserant, circumventi (quos inter unus fuit ex Episcopis, Episcopus Cracoviensis) Articulum comprobarunt. Sic enim fraudem struxerant Acatholici, *& hanc impietatem* (inquit Gratianus) (*c*) *verbis adeo aptis occultaverant, ut aliqui dulci pacis & concordiæ nomine decepti, prius nomen suum decreto adscripserint, quam dolum animadverterint.* Hic primus aditus ad reliquas pravitates.

8. Sed facile fuit Primati, Episcopis, Senatoribus, cæterisque Nuntiis Catholicis, errorem brevi aperire, malitiamque detegere. Itaque posttridie omnes Episcopi una voce publice reclamarunt: nihil potuisse in iis Comitiis de tali re definiri, definitumque non esse firmum ac stabile; *cum neque Nos* (sic enim loquebantur) (*d*) *absque Capitulis nostris, ad perpetuum tempus quid-*

(a) Gratianus *de vita Cardin: Commendoni lib. 4. cap. 7. p.* 354. Jdem *de scriptis de scriptis invita Minerva* Tom. 2. *p.* 207. (b) Jdem *de scriptis J.M. pag.* 27. *& de vita Commend. p.* 356. (c) *Loc. cit.* (d) Ex *Epistol. MSS.* Card. Commend *Tom. III. pag.* 64. Vid & Heidenst.

quicquam statuere possimus; neque Nuntii Terrestres hoc in mandatis à Fratribus habeant, quemadmodum multi eorum se se in hoc nobis declararunt, quod ad suas Provincias hæc referre nullo modo audent. Atque hoc modo obviam fraudi subito itum est.

9. Verum quidem est Acatholicos ad hæc adeo exarsisse, minas bellum abnuentibus intentantes, (e) ut haud procul a vi & seditione res absfuerit, & non semel in Senatu prope ad arma ventum sit. (f) Cæterum hæc, licet essent plena violentiae, plena periculi, tamen neque Primatis animum vincere, neque constantiam imminuere potuerunt. *Is enim* (ita pergit Gratianus, (g) cujus verba juvat exscribere ad pleniorem faciendam fidem) *Is enim, quamvis Hæreticorum clamoribus minisque incesseretur, adeo furori eorum violentiæque non cessit, ut in publicas tabulas referri Decretum vetuerit: Et quia per vim relaturi* Acatholici *videbantur, ipse ex sua reliquorumque Episcoporum, & totius Ecclesiastici Ordinis, & Catholicorum omnium auctoritate, id Decretum contra Rempublicam, paucorum conspiratione & fraude conflatum esse dixit, edictumque in publicas tabulas referri jussit.*

10. Re quidem vera exstat scripta Declamatio Catholicorum tunc vulgata, (h) quæ incipit: *Nos Senatus utriusque Status, nostro & Internuntiorum nomine, ad Convocationem Varsaviensem ablegatorum, qui non subscripsimus Confœderationi de dissidio Religionis in hac Convocatione à quibusdam Senatoribus & Internuntiis conscriptæ & constitutæ &c.* In hac autem Catholici contestando denuntiabant, se eo tantum nomine ad Comitia venisse, ut locum & tempus futuræ Electionis statuerent: Nuntiis nihil præterea ab suis Provinciis esse commissum: Decretum vero de Religione per fraudem & vim in publicas tabulas relatum, quod prava multa & seditiosa, & iniqua contineret, se palam damnare, ac perpetuo damnaturos. *Ita*, inquit Heindensteinius (i) *imperfecta, quasi res relicta: Uno* enim *Krassinio excepto, qui leniendæ invidiæ causa solus subscripsit, cæteri Episcopi omnes, in iisque* Karn-

p. 39. (e) Gratian. *de S.J.M. p.* 208. *de vita Commend. p.* 357. (f) Commendon. *Epistol. Tom. III. pag.* 83. (g) *De S.J.M. p.* 211. *de vita Commend. pag.* 361. (h) Commendonus *Tom III. Epist. p.* 71. (i) Heidenst. *pag.* 21.

Karnkovius, quamvis ſcribendo antea præfuiſſet, partim publice contradixere, partim vim veriti ſe ſubduxere. (*)

11. Hoc pacto Convocationis Comitia dimiſſa ſunt. Ineunte anno 1573. conſecuta ſunt alia de novo Rege creando. Acatholici ſuperiores conatus inſtaurarunt; ſi poſſent efficere, ut Decretum toties oppugnatum, Catholici ratum habere vellent. Sed fruſtra. Epiſcopi ad unum omnes conſtantiſſime recuſarunt. Et licet multi ex Senatoribus Catholicis ad ſubſcribendum accederent; tamen eam tantummodo Decreti partem comprobarunt, qua

(*) Concordat hæc Epiſtola Commendoni cum Actis Caſtri Sochaczevienſis, ubi Jacobus Uchańſki Primas Regni in vim Reconfæderationis contra Diſſidentes nomine Statuum Regni Fidem Catholicam tutantium Declamationem Solemnem negatis ſibi Actis Caſtr: Varſav: obtulit ex Perſonali. " Sub. Actum in Caſtro Sochaczevienſi „ Fer. Ter. poſt Dominicam Quadrageſimæ An. Dom. 1573. Compa- „ rens perſonaliter Reverendiſſimus in Xſto Pater Dominus Jaco- „ bus Uchańſki DEI Gratia Archi-Epiſcopus Gneſnenſis Legatus Na- „ tus & Regni Poloniæ Primas.

„ My Rady Duchownego y Swieckiego Stanow, ktorzyśmy ſię na „ konwokacyi Warſzawſkiey do Konfederacyi de Diſſidio Religio- „ nis od niektorych Rad y Poſłow uczynioney nie łączyli y nie- „ zezwalali, oświadczamy y Manifeſtuiemy ſię przed całą Oyczy- „ zną y wſpoł Bracią naszą, iż gdy na konwokacyą Warſzawſką „ ziechaliśmy ſzczegulnie dla umowienia ſię o czaſie y Elekcyi przy- „ ſzłego KROLA, niektorzy z Rad y Poſłow na teyże konwoka- „ cyi mimo pozwolenia Naſze uczynili Konfederacyą, w ktorey „ lubo niektore punkta dla zachowania całości publiczney ſą wyra- „ żone, znayduią ſię iednak takowe punkta ktore y teraz y nadal- „ ſze czaſy ſą wielce ſzkodliwe, gdy w materyi Religii otwarta „ droga rożnym Sektom y rożnym bezprawiom zoſtała. Przetoż My „ przeſtrzegaiąc całości Praw Naſzych teyże Konfederacyi niepo- „ chwalamy, ktora na Zwierzchność y wſzelką władzę naſtępuie, „ do urazy Jmienia Boſkiego y wſzelkiey rozwiozłości drogę o- „ twiera, a przez to Prawa y Wolności Stanu Szlacheckiego do „ zguby prowadzi &c:, y publicznie ſię o to proteſtuiemy y aby ta „ Proteſtacya do Akt podana była mieć chcemy, ponieważ y Poſło- „ wie Ziemſcy na tę konwokacyą od Woiewodztw zeſłani, donie- „ śli y oświadczyli ſię publicznie że od wſpoł Braci ſwych żadne- „ go w tym zezwolenia nie mieli. Y owſzem wyraźne w Jnſtru- „ kcyach zalecenie mieli aby na tym Konwokacyi ziezdzie o niczym „ y żadnym nowym uſtanowieniu nie traktowano, ani nic nowe- „ go nieposſtanowiono, tylko ſzczegulnie o czaſie y mieyſcu Ele- „ kcyi przyſzłego KROLA, A przeto na tę Konfederacyą ani mo- „ gą ani chcą zezwolić.

qua cavebatur, ne causâ Religionis arma ſumerentur: cetera vero ut iniqua & non ferenda penitus rejecerunt. (k)

12. Atque hæc plusquam ſatis eſſe debebant, ut tale Decretum, toties & tam publicè refutatum, abjiceretur omnino, ac ſileretur. Verum Acatholici inſtant acrius atque urgent; neque ſibi quieſcendum putant, donec controverſa clauſula in jurisjurandi formula includatur, quod novus Rex de Conſilii ſententia erat juraturus. (l) Quod volunt, aſſequuntur. Quales tunc Epiſcopi? Iidem fuerunt, qui antea. Etenim duce & auctore Primate, univerſi, iterum conteſtati, publicam reclamationem opponunt: curant hujus conteſtatæ Reclamationis exempla dividi paſſim, edi, circumferri, (m) ut in ſingulis Provinciarum Conventibus ſubſcribatur: neque his contenti, aliud exemplar graviſſimis verbis conceptum ſemel atque iterum ad novum Regem Pariſios mittunt. (n) Hæc Epiſcopi pro ſuo & Religionis ſtudio, & Reipublicæ caritate. Sed quemadmodum ex viginti Legatis, qui tunc nomine Reipublicæ in Galliam venerunt, nonnulli erant Acatholici; ita, licet pro Ortodoxæ fidei cauſſa totis viribus laborarent Epiſcopus Poſnanienſis princeps Legationis, ejusque collegæ Dux Olicenſis, & Albertus Laſcius viri optimi ac probatiſſimi, id unum tamen à novo Rege impetrare potuerunt, ut, cum jusjurandum juxta formulam controverſam daret, conteſtatam ſimul Catholicorum denuntiationem admitteret. (o) Itaque Rex in hæc verba juratus dixit: *pacem & tranquilita-*

Similiter alia Reclamatio ab Ordine Senatorio & Equeſtri ſubſecuta eſt *Sub Actum in Caſtro. Plocenſi Feria 5. ante Feſtum Nativ. B. V. Mariæ An.* 1573. *ex concluſo totius Nobilitatis in Raciąż congregatæ, contra prædictam Confœderationem Varſavienſem* (Quæ incipit) *Nos Senatores Spirituales & Sæculares Dignitarii & Officiales univerſusq; Ordo Equeſtris omnibus & Singulis ſignificamus.* &c.

Pares Reclamationes & proteſtationes in aliis Palatinatibus Mazoviæ, Podlachiæ &c. Actum Confederationis in Puncto Diſſidentium expugnantes intercesſerunt.

(k) Commend. *Epiſtol. Tom. III. pag.* 248. (l) *Ibid. pag.* 267. 283. 294. (m) Gratian. *loc. cit.* (n) Commend. *Epiſt. Tom. III. pag.* 331. 390. (o) Commend. *loc. cit. pag.* 584 595. 596. 600. 607. Gratian. *loc. cit. pag.* 222. Heidenſteinius *Rerum Polonic. pag.* 35. 39. 40.

litatem inter Diſſidentes de Religione (omnes Acatholici tunc primum cognomine Diſſidentes ſunt appellati) (p) *tuebor, manutenebo, nec ullo modo vel jurisdictione noſtra, vel Officiorum noſtrorum, & Statuum, quorumvis auctoritate quemquam affici opprimique, causâ Religionis permittam; nec ipſe afficiam, vel opprimam,* (q) Sic

(p) Lengnich *Jus Publ. Pol. Lib.* 4. *c.* 14. *n.* 4. *Tom. II. pag.* 556. (q) Dumont *Corps Dipl: Tom V. Part.* 1. *pag:* 224. Piaſeccius *in Chron: Europæ pag:* 56.

In Vol. 11. *Conſtitutionum fol.* 866. *Tit. Confirm. Jurium N.* 229. legitur *Declaratio facta ab Henrico REGE in Comitiis* 22. *April.* 1573. quæ ſub nomine *Pacis Religioſæ* venit in hæc verba:

Do czego też przyſtąpiła przyſięga Stanow Koronnych Nam uczyniona, ktore to wielkie a ważne Akty, iż w takiey zgodzie, miłości, iedności tey Korony, y wſzyſtkiey Rzeczypoſpolitey odprawione ſą, mamy zaprawdę wſzyſcy za co Panu Bogu dziękować: proſząc go, aby tak iako począł, wſzyſtko ku czci a chwale ſwey, ku dobremu nie tylko tey Korony, ale y wſzyſtkiego Chrześciańſtwa, ſprawować, y Naſzym Radom a ſprawom naſzym miłościwie błogoſławić raczył. A ponieważ przy Koronacyach ſwych KROLOWIE Polſcy, ſławney pamięci Przodkowie Naſi, konfirmacye liſtowne wſzyſtkiey Rzeczypoſpolitey zwykli dawać: gdy do tego przyſzło żeśmy o konfirmacye byli żądani, tedyśmy iey zaraz pozwolili takim obyczaiem, iakim Przodkowie Naſi KROLOWIE Polſcy konfirmacye dawali: ktorąśmy wſzyſtkie Koronne Polſkie, y W. X. Lit y wſzyſtkich Państw y Ziem Koronnych (diſmembracyi w Rzeczypoſpolitey ſzkodliwey przeſtrzegaiąc) Prawa, Statuta, ſwobody wolności, Przywileie, tak poſpolite, iako y każdemu z oſobna Stanu wſzelakiego potwierdzili. Jakoż y teraz ieſzcze *ex Superabundanti* y tym liſtem Naſzym potwierdzamy, y każdym innym według potrzeby potwierdzić ieſteśmy gotowi. *Cæterum*, co ſię tknie *Controverſos articulos*, o ktorych nietylko tu, ale ieszcze y we Francyi był niemały ſpor: tedy o nich na Seymikach Powiatowych od Nas ſprawę doſtateczną weźmiecie. A My ſami na ten czas, chociaż po takich pracach y fatygach Naſzych, ſobie folgować nie będziemy: ale powinności ſwey, tak w Sądziech y w opatrywaniu pokoiu poſpolitego, iako y w rozſyłaniu poſelſtw do wſzyſtkich Panow Chrześciańſkich y Pogańſkich, y do Ziem Koronnych, rozmnażaiąc pokoy y ſławę zacnego Narodu Polſkiego, y Kroleſtwa Naſzego, chociaż w takim obnażeniu y zniszczeniu Skarbu Koronnego, iakieśmy zaſtali, chętliwie ſię do tego ſami z oſoby ſwey przykładaiąc, a wſzyſtkie rzeczy ku dalszemu dobremu poſtępku, iako tego potrzeba nieſie; a ile tak zrazu bydź może wedle naywiękſzey możności Naszey ułacniaiąc, doſyć czynić będziemy, y iuż czyniemy. A iak tym piſaniem Naſzym wſzem wobec, y każdemu zoſobna oznaymuiemy, że My iakośmy ſą z łaſki a przey-

Sic qui ante id tempus Hæterodoxi in Polonia legibus damnati erant atque proſcripti, (r) tunc primum tolerari cœpti ſunt. Atque hæc eſt præclara illa *Pax Religioſa*, quam tanto verborum apparatu afferunt Diſſidentes, & a qua ſatis ſe tectos munitosque arbitrantur.

13. Sed monendi ſunt aliquando, ne plus æquo ſibi blandiantur. Si enim paululum attenderint, videbunt inde cauſam illorum potiſſimum labefactari, unde fulciri ſuſtentarique ſperabant. Cum hominibus rerum noſtrarum peritis diſputo: ſunt enim & Diſſidentes, Poloni. Volunt Decretum Pacis Religioſae, quod Acatholicis favet, eſſe legem, quæ veteres leges in ipſos Acatholicos latas reſciderit, abrogarit.

14. Ex ipſis igitur quæro, utrum Legis nomen ac vim apud nos mereatur, quae non omnium Ordinum ſuffragiis præſcripta ſit; & quam ab iis ipſis, qui jus habent ſuffragii, contra ſit dictum, eique publice reclamatum. Non affirmabunt, ut opinor: (s) norunt enim in hac noſtra Republica, quidquid uno aliquo Civium Ordine, vel inconſulto, vel diſſentiente decretum fuerit, non eſſe legem. Rem perſpectiſſimam aut monumentis docere, aut exemplis confirmare ſupervacaneum prorſus eſt.

15. Jam vero dicentne, Decretum de Religione in Acta Pacis Religioſæ inſertum, auctoritate omnium Ordinum eſ-

B ſe

rzenia Bożego a z godnego wſzech Stanow tey Korony przyzwolenia, KROLEM Polſkim obrani, żądani, wezwani y przyprowadzeni: takeśmy iuż za tąż łaſką a błogoſławieńſtwem Bożym, wſzyſtkich zgodnym przyzwoleniem, w Krakowie na Zamku w Kościele S. Staniſława koronowani, z podaniem od wſzyſtkich Stanow y Rycerſtwa powinnego poſłuſzeńſtwa. Gdześmy też wſzyſtkim Koronnym Narodom, tak Polſkim, iako y Litewſkim, Prawa, Statuta, Przywileie, Wolności, Swobody poſpolite y Własne każdemu poprzyſięgli, one wſzyſtkie w cale dzierżeć, zachowywać y pomnażać. A iż żadne Kroleſtwo, żadna Rzeczpoſpolita bez ſprawiedliwości ſtać niemoże, porządek Sądow podług ſtarodawnego w Rzeczypoſpolitey zwyczaiu y biegu, gdyż ſię nic nowego zgodnie niepoſtanowiło, w mocy ſwey zachowuiemy.

(r) Vide Leges, quas recenſebimus infra *pag.* 12. &c. (s) *Tom. I. Conſtitutionum Anni* 1504. *pag.* 298. *& Anni* 1538. *pag.* 526.

se sancitum? (t) Quæ major fraus, quam exitum Comitiorum expectare; & post illorum discessum, qui si affuissent, certissime repugnassent, ex improviso erumpere; Decretum, facem ac perniciem veterum legum, pacis simulatione proponere; & præsentes aut dolis circumvenire, aut terrere minis, aut vi ad subscribendum compellere? Quid vitiosius, quam Nuntios Provinciarum ad Comitia ablegatos de magnis rebus decernere, de quibus decernendis nullum mandatum ab suis Provinciis habeant? (u) Quid magis iniquum, quam, quod una pars Civium edixerit, id velut edictum ab universa Republica obtrudere conari?

16. Quid? Episcoporum Ordo, qui idem est ac omnium Ecclesiasticorum; numquid non est eorum Civium, quorum suffragia in rogandis legibus valere debeant? Atqui isti omnes, non modo subscribendo non affuerunt, sed etiam contra Decretum dixerunt, sed apertissime reclamarunt. Reclamarunt in Comitiis Convocationis, simul ac fraus est retecta. Reclamarunt semel atque iterum in Electionis Comitiis, sive cum ab Acatholicis decretum ferri cœpit, sive cum est immutata jurisjurandi formula, quod novo Regi præscribebatur. Reclamarunt etiam apud ipsum Regem Parisiis, ea animorum conspiratione atque constantia, qua dictum est. (w) Quid Senatores Catholici? Paucis exceptis, reliqui Decretum aut rejecerunt, aut ex parte tantummodo comprobarunt. Quod si de ceteris Catholicis quæsiverimus, inveniemus Decreto restitisse in ipsis Comitiis Convocationis Terrestres Nuntios complures: illud improbasse Catholicos in variis Provinciarum Conventibus: (x) denique scripto edito vitiosum irritumque declaravisse Nobilitatem cunctam Mazoviensem in Republica splendidissimam & probatissimam. (y) Hi omnes, magna nempe pars Civium, non modo non assenserunt, sed verbo & scripto repugnarunt. Ergo non illa lex est. Quod si non lex; ubi illa est Religiosæ pacis tutela? Ubi illud patrocinium legis, quod Dissidentes in tuto esse jubeat, & iis jura Catholicorum impertiat? *Conjuratio fuit illa potius*, inquit Gratianus,

quæ

(t) Vide supra *pag*: 4. (u) *pag*: 5. 16. & 17. (w) Vide supra *pag*: 4. 6. 7. 16. (x) Item *pag*: 5. 6. 7. 16. (y) Card. Commend. *Epist. loc. cit. pag*. 647.

quæ nihil publicæ auctoritatis traxit (z) Quare Primas in Comitiis habitis ann: 1632. meritissimo proclamabat: *se scire, quod Pax Hæreticis indulgeretur; Sed de jure legeque publica, quâ confirmaretur, nescire.* (a)

17. Sed Legis vim habeat: videant quid ipsis largiar. Quid ergo? Non erunt, credo, adeo intemperantes, neque ita immoderate efferentur, ut sibi plus arrogent, quam ipsa lege permissum sit. Age vero, quibusnam verbis Articulus ille Pacis Religiosæ comprehensus est? Verba sunt hujusmodi: *Pacem mutuo inter nos servabimus, ac propter diversitatem fidei, & mutationem in rebus Ecclesiasticis, sanguinem non effundemus; neminem ob id puniemus confiscatione bonorum, infamia, carceribus, & exilio.* (*b*) Quibus sane respondent Pacta Conventa, in quae Reges jurare consueverunt: promittunt enim ac spondent: *ne ex hac causa scissiones & sanguinis effusiones fiant, integra in omnibus Dissidentium in Religione Christiana pace & securitate.* (*c*) Jgitur vi illius Articuli id unum Dissidentibus indulgetur, ut pœnis vel capitis vel exilii per leges in Acatholicos constitutis minime subjiciantur; ut revera non subjiciuntur: quin immo Religionis suæ cultus per summam ipsis tolerationem permittitur.

18. Dissidentes nostri satisne habent ab hujusmodi legum pœnis esse liberatos, & à nemine vel privatim vel publice causâ Religionis vexari, opprimi, affligi? Non habent satis. Volunt præterea legi inter Nuntios posse, in Senatorum numerum adscribi, honores petere & exercere, Templa ubi non sunt ædificare; omnia uno verbo cum Catholicis habere communia. Sed per DEUM immortalem! quid horum in laudato Articulo perscriptum est? quid simile invenitur? Nihil prorsus. Quæ est igitur ista jactatio, non modo, quae haud legitimo modo constituta fuit lex, legem vocare; sed etiam vi legis sibi ea attribuere, de quibus in ipsa lege penitus sileatur? Alio se vertant Dissidentes; cum Pacem Religiosam obesse sibi potius videant, quam prodesse. Quid enim possunt dicere? Etiamsi Articulus Paci Religiosæ insertus

(z) Gratianus *de S. J. M. pag.* 211. *de vita Commend. pag.* 361.
(a) Piasecius *in Chr. Europæ pag.* 456. (b) Acta Confœderationis Varsaviensis *Ann.* 1573. (c) Lengnich *ad Pacta Conventa* §. 4.

lex fuisset, & Dissidentibus universa, quæ expetunt, impertivisset; tamen licuisset Reipublicæ legem hanc tollere, & abrogare. Ji, penes quos est summa imperii, custodes sunt, tutores ac vindices salutis vitæque communis. Hanc utramque leges firmant & muniunt. Et quoniam ea est rerum humanarum conditio, ut in eodem semper gradu nec stare possint, neque consistere; sic non erunt leges aliter temperandæ, ac Status Reipublicæ, inclinatio temporum, ratio concordiæ requisiverit. Jgitur suprema omnis potestas hoc juris habere debet, ut pro loco & tempore novas leges perscribat, aut perscriptas rescindat, amplíet, contrahat, aut aliqua ex parte commutet; cum istarum temperatione ac moderatione, omnium Civium salus, pax, otium, felicitas, contineatur. Hæc nota sunt omnibus, quicumque publici juris fontes vel primis labris attigerunt. Supremam in Poloniæ Republica potestatem & resedisse, & residere nemo negabit. Ergo quas potuit leges ferre, potuit etiam justis de causis rescindere. Nulla autem potior, gravior, melior Catholicæ Religionis tuendæ caussa; sine qua nihil in humanis tranquillum esse potest, nihil stabile, nihil jucundum. Jd unum vero ob oculos habuisse Rempublicam, tunc cum sive ante, sive post Pacem Religiosam multa in Hæterodoxos sancivit, & sancita confirmavit; Sed de Pace Religiosa plus quam satis; quæ si lex fuit, jure potuit abrogari; si non fuit, ut jam docuimus, frustra à Dissidentibus appellatur. (*)

FOEDUS

(*) Juvat hic Lectorum oculis subjicere leges, quæ superiori tempore, pro Religione Catholico Apostolico Romana, emanarunt: quas ex corpore Nostrarum Constitutionum excerpsimus: *Tom I. Constit. pag.* 61. Communitas Magni Ducatûs Lithuaniæ & Russiæ An. 1401. perpetuo fædere se communitati Regni adjunxit, „ cum quibus (id est Polonis) in Fide facti unanimes & consortes, ad perfectionem Catholicorum operum merito & opportune „ debemus, per concordiam perpetuo aspirare (inquiunt Lithuani) „ *& infra.*

„ Illo etiam non omisso, quod si Dominus Vladislaus REX prædictus (quod „ Deus avertat) sine prole decesserit, ex tunc sine scitu & consilio e- „ jusdem Domini Vitoldi & Nostro pariter, Prælati, Barones, Nobi- „ les & Communitas Terrigenarum terrarum Regni Poloniæ præ- „ dicti

,, dicti, sibi REGEM & Dominum non debent eligere seu lo-
,, care: cum quibus firmam, mutuam & constantem servantes as-
,, sistentiam, in dulcedine Fidei & visceribus Jesu Christi perpe-
,, tuam & irrevocabilem tenebimus unionem.

Jdem Vladislaus Jagello REX Poloniæ, nec non Alexander alias Vitoldus M.D.Lit. ac Russiæ Dominus, in Comitiis Horodlensibus Anno 1413. celebratis, eandem Lithuaniæ ac Russiæ incorporationem, consentientibus Prælatis, Nobilibus, ac Baronibus, omnibusque utriusque nationis ordinibûs, confirmantes, ac novo fædere constabilientes hæc decreverunt: *Vol: I. Constit: pag: 67.*

"Juxta consvetudinē Regni Poloniæ Barones etiā Nobiles Bojari Terrarū no-
,,strarum Lituaniæ prædictarum donationibus privilegiis, & con-
,,cessionibus ipsis per Nos datis, impertitis, & collatis, dumtaxa-
,,Catholici, & Romanæ Ecclesiæ subjecti, & quibus clenodia sunt cont
,,cessa, gaudeant participent, & fruantur; prout Barones Regni Po-
,,loniæ suis potiuntur & fruuntur .... Filias aut Sorores consan-
,,guineas & affines suas, præfati Barones & Nobiles Terrarum Li-
,,thuaniæ copulare poterunt, viris dumtaxat Catholicis, juxta consue-
,,tudinem Regni Poloniæ ab antiquo observatam.

Vol 1. *Const.An*: 1413. *Tit. Jncorporatio Terrarum M. D. Litt. p.* 68.

" Jtem Dignitates Sedes & Officia prout in Regno Poloniæ institutæ
,, sunt instituentur, & locabuntur in Vilna, scilicet Palatinus &
,, Castellanus Vilnensis, & demum in Troki, & in aliis locis ubi
,, Nobis videbitur expedire juxta Nostræ beneplacitum voluntatis
,, perpetuis Temporibus duraturis. Et hujusmodi Dignitarii non
,, eligantur, nisi sint fidei Catholicæ cultores & subjecti Sanctæ-
,, Romanæ Ecclesiæ. Nec etiam aliqua Officia terræ perpetua, ut
,, sunt Dignitates Castellanatus &c. nisi Christianæ Fidei cultoribus
,, conferentur, & ad Consilia Nostra admittantur & eis intersint,
,, dum pro bono publico tractatus celebrantur. Quia sæpe dispa-
,, ritas Cultus diversitatem inducit animorum: & consilia patent
,, talibus divulgata, quæ traduntur secrete observanda.

" Præterea prædictis Libertatibus Privilegiis & gratiis, tantummodo
,, illi Barones & Nobiles terræ Lithuaniæ debent uti & gaudere,
,, quibus arma & clenodia Nobilium Regni Poloniæ sunt conces-
,, sa, & cultores Christianæ Religionis Romanæ Ecclesiæ subjecti,
,, & non Schismatici, vel alii infideles.

Diligentius insuper præcavens idem Vladislaus REX, ne hæretica pravitas, tum Poloniæ tum Lituaniæ & Russiæ terras ullô modô inficeret: edictum solemne Vieluni edidit, die Dominicâ *Judica me* An. 1424. (*Vol. I. Const: pag:* 85.) tenoris sequentis:

" Quod cum sub dissimulatione præterire non debemus, imo arcemur di-
,, vinæ legis perpetuis institutis, pestiferos hæreticorum errores,
,, (quos in Dei contemptum & in Christianæ Religionis detrimen-
,, tum & enervationem, politiæque jacturam iniqua perversorum
,, corda conflaverunt) etiam quæcunque oporteret Nos subire pe-

,, ricula

,, ricula a finibus Nostris propulsare, & in gladio dejicere, ut
,, qui censura Ecclesiæ non terrentur, humana severitate mulcten-
,, tur: Maturo Consilio Prælatorum; Principum, Baronum No-
,, strorum habito, & consensu, & etiam de certa ipsorum & Nostra
,, scientia, præsentibus decernimus, & pro firmo constanti & pro
,, irrefragabili edicto, teneri præcipimus: Ut quicunque in Regno
,, Poloniæ Nostro, & terris Nobis subjectis hæreticus, aut hæresi
,, infectus vel suspectus de eadem, fautor eorum vel director re-
,, pertus fuerit per Nostros Capitaneos, Consules Civitatum, &
,, alios Officiales, ac quoslibet Subditos Nostros sive in Officiis sive
,, extra viventes, velut Regiæ Majestatis Offensor capiatur: & ju-
,, xta exigentiam excessus sui puniatur. Et quicunque venerint de
,, Bohemia & intrant Regnum Nostrum, Ordinariorum suorum e-
,, xamini, aut Inquisitorum hæreticæ pravitatis ad hoc a Sede A-
,, postolica deputatorum vel deputandorum, subdentur comprehensi.
,, Si quis autem incolarum Regni Nostri cujuscunque Status, di-
,, gnitatis, gradus, aut conditionis fuerit, hinc ad Festum Ascensio
,, nis Domini proximum redire de Bohemia neglexerit, noluerit
,, vel contempserit, pro convicto hæretico censeatur & pænis sub-
,, jaceat quæ hæreticis infligi consueverunt, nec amplius ad Re-
,, gnum Nostrum revertatur moraturus: & nihilominus omnia bona
,, ipsorum mobilia & immobilia, in quibuscunque rebus consisten-
,, tia, publicentur thesauro Nostro confiscanda; prolesque eorum
,, tam masculina quam fæminina omni careat successione perpetuo
,, & honore, nec unquam assumatur ad aliquas dignitates vel ho-
,, nores, sed cum Patribus & progenitoribus suis, semper maneant
,, infames: nec de cætero gaudeat aliquo Privilegio Nobilitatis,
,, vel decore.

" Inhibemus etiam sub iisdem pænis omnibus mercatoribus, & aliis ho-
,, minibus cujuscunque conditionis fuerint, ut a modo & in poste-
,, rum nullas res venales præsertim plumbum, arma, esculenta, &
,, poculenta, ad Bohemiam ducere præsumant vel portare.

Vol. I. Const: p: 140. An. 1438. Confæderatio Principũ, Spiritualiũ & sæcula-
riũ, Baronũ, Comitum, totaque Communitas Regni Poloniæ, in nova Civitate Korczyn, in Parlamento generali, die S. Marci Ap. congregata, unanimiter decrevit " Quod quicunque exstans indigena
,, Regni Poloniæ, habens in ipso Regno Poloniæ bona . . . hæreti-
,, cales errores facere vel promovere vellet, contra talem sive tales cu-
,, juscunque status, gradus, conditionis & præeminentiæ fuerint, sive
,, spirituales sive sæculares, & in eorum destructionem consurgere vo-
,, lumus & promittimus sub fide & honore Nostris, absque dolo
,, & fraude; nec ipsis auxilio consilio vel favore patrocinari vo-
,, lumus, sub fide & honore Nostris, etiamsi sanguine, affinitate
,, & quacunque propinquitate forent Nobis aut alicui Nostrum con-
,, juncti.

Anno

Vol. 1. *Conſt. pag.* 448. Anno 1525. prodiit a Januſſio Maſoviæ Duce, aſſiſtentibus ſibi univerſis Ducatus ſui Ordinibus, & Officialibus contra Lutheranos decretum, cujus hæc verba:

,,Actum Varſaviæ fer. 5. ante Dominicam *Oculi* An. Dom. 1525. Jllu-,,ſtriſſimus Dñus Princeps cum toto Conſilio suo volens ſectam Lu-,,theranorum, & eorum falsum Dogma in Ducatu ſuo ab omnibus ,,ſubditis ſuis penitus eradicari, & ne hoc falso errore & dogmate, ,,ſubditi ſui à Fide orthodoxa & Sancto Ritu Romanæ Eccleſiæ ſedu-,,cantur, ex Officio Suo & authoritate ducali, ut verus Chriſtianæ Re-,,ligionis, & Fidei Princeps, providere tempeſtivè cupiens, ita de-,,crevit, conſtituit & concluſit: Ut nullus in toto Ducatu Masoviæ ,,tam in Civitatibus, oppidis, quam eorum in villis cujuscunque ,,conditionis & ſtatus exiſtat, præsertim in civitate Varsaviensi, li-,,bros, & falſam doctrinam Lutheri in quocunque ſermone, ſive ,,Latino, ſive Alemanico, aut quovis alio, tenere apud ſe, & in ,,domibus ſuis habere, legere, ac ipſum falſum dogma Lutherano-,,rum profiteri, ſectam portare, tueri, & aliis eandem persuadere ,,præsumat. Jta tamen, ut quicunque de hac Secta legitimè convi-,,ctus & probatus fuerit, talis vitâ privari debeat, & bona ejus o-,,mnia quæcunque habet, mobilia & immobilia confiſcari, & ad ,,Theſaurum Ducalem recipi debeant.

Eodem An: 1525. *Vol.* 1. *Conſt: p.* 454. Catholicæ Religionis ſtatum in Civitate Gedanenſi, *Ordinatione* hac de re edita ſtatutum fuit. ,,Im-,,primis, quia traditiones Eccleſiaſticæ, ut à Majoribus Noſtris Or-,,thodoxis proditæ ſunt ſervari debent: quas ſi cuilibet expendere, ,,mutare vel abrogare, cuilibet Scripturam pro ſenſu ſeu libidine ,,ſua interpretari liceret, nihil certi, non in Religione ſolum, ſed ,,in humanis quoque rebus, quæ hoc freno diriguntur, haberi poſ-,,ſet: ut iam obſcurum non eſt, quos fructus edat novata Religio; ,,quas & quales normas & præcepta tradant ipſi arbitratu ſuo, qui ,,in ritus & inſtituta Eccleſiæ Catholicæ debacchantur. Statuimus, ut ,,deinceps usus antiquus Religionis & ceremoniarum, tot ſæculis in ,,omnibus Regnis & Dominiis Chriſtianis obſervatus, & à Majori-,,bus Noſtris per manus Nobis traditus, ac per nos, ut Principem ,,Chriſtianum decet, commode reſtitutus, diligenter in hac civitate ,,& in omnibus Eccleſiis obſervetur. Quem, ſi quis vituperare aut ,,illi detrahere præsumpſerit, debito modo convictus puniatur. Cui ,,autem juxta veterem Religionem & normam universalis Eccleſiæ, ,,ac Conſtitutiones Noſtras vivere non placuerit, is intra duas heb-,,domadas poſt edictum publicum, civitate exire, & alio com-,,migrare poterit, nunquam deinceps reverſurus: alioquin ultra hunc ,,terminum adversus Conſtitutiones Noſtras vivens, ſupplicium ca-,,pitis non evadet.

Quoniam superius pag: 7. & 10. memoravimus Protestationem à Clero emissam contra assertam Pacem Religiosam, juvabit eam integram oculis lectorum hic subjicere.

Quemadmodum antea toto Jnterregni tempore & præcipue in Conventu electionis novi Regis circa Varsaviam proxime celebrato quandocumque aliqui articuli præter Actum Electionis REGIS proponerentur, ac introducerentur, totus Status & Ordo Spiritualis cum magna parte sæcularis, ac Ordinum ejus, non modo super eos nonconsenserunt, verum etiam solemniter reclamaverunt, & ne aliquod in posterum robur haberent protestati sunt; Jta & nunc, cum iam venerit tempus confirmandorum per S. Regiam Majestatem Vestram jurium Regni, Nos Jacobus Uchański DEI & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Gnesnen: & Regni Primas, ob infirmam valetudinem interim a Senatu absens, & item alter Rmus: D. Archiepiscopus Leopoliensis, similiter & omnes Rmi: . . . . Episcopi proprio nostro & aliorum absentium Episcopor:, Ecclesiarumque omnium Cathedralium, & Collegiatarum, ac universi hujus Regni Cleri nominibus, tanquam universus Status Spiritualis, & omnes ejus Ordines etiam cum magna parte Status sæcularis, ac Ordinum ejus nobis adhærentium, & adhærere volentium, non consentimus, sed reclamamus, contradicimus & protestamur; articulos in conventu Electionis REGIS a quibusdam Saecularibus, sine unanimi omnium consensu, imo quamplurimis reclamantibus, & ut præfertur, protestantibus, non loco, non tempore, non modo, nec ordine debitis, ac legitimis compositis, & nunc Sacræ Reg. Majest. Vestræ porrectos inter confirmationem jurium, & libertatum Regni inferri non posse nec debere; tam ex eis rationibus, quæ sunt in dictis protestationibus perscriptæ (quæ hic pro expressis habeantur). quam etiam ex his causis quæ sequuntur.

1. Quia Comitia Varsavien: ad unum dumtaxat Actum eligendi REGIS erant indicta, nec Terrarum Nuncii cum mandatis erant missi. Et quoniam in Actu electionis ii, qui convenerunt, plenum jus ad eligendum REGEM duntaxat habuerunt. Jdeo in dictis comitiis nihil agi poterat, præter quam de Electione REGIS; quidquid vero statutum est, quoniam non suo loco, neque tempore, neque modo, neque a personis ad id potestatem habentibus, ideo nullius momenti esse debet neque Status ac Ordines Regni afficere potest.

2. Leges condi non possunt, nisi omnium Ordinum consensu, hoc est Regni Senatorum, & Nunciorum Terrestrium. Mortuo REGE cui dubium esse potest nullam condendarum legum penes reliquos duos ordines potestatem fuisse relictam.

3. Hi articuli post Electionem REGIS sunt conscripti. Electo itaque REGE, & renuntiato, nulla penes Nos, absente illo statuendi potestas fuit.

4. Cum

4. Cum ea ſit Conſtitutio Reipublicæ Noſtræ, ut nihil novi ſine aſſenſu Equeſtris Ordinis ſtatui poſſit, proptereaque R. Majeſtas, ſi aliquid neceſſarium eſſe judicat, in conventibus particularibus per nuncios ſuos proponit, de quo in Comitiis generalibus ſit tractandum; dicuntur a Nobilitate ſententiæ, quid approbandum, quid rejiciendum ſit diſquiritur, atque ita Nuncii tum abſoluta, vel limitata poteſtate, prout uſus poſtulaverit, amandantur. Cum vero in iſtis Comitiis nihil ejuſmodi actum ſit, profecto ſine injuria abſentium hi articuli approbari non poſſunt.

5. Dato & non conceſſo, quod Comitia ejuſmodi ad Varſaviam indicta ſint, in quibus omnia Reipublicæ negotia tractari, atque expediri poſſent: tamen quia ex ſtatuto Sigiſmundi Primi de Comitiis electionis indicendis aperte apparet, Senatum ad indicenda tantum Electionis Comitia poteſtatem habere. Jtaque pariter Electione in illis tractata & agitata nulla ſunt cenſenda.

6. Lege cavetur, ne quid novi REX ſine conſenſu Conſiliariorum & Nunciorum Terreſtrium ſtatuat. Si vero in Comitiis ejusmodi ad quæ non per Nuntios ſed viritim convenitur, leges figi, & refigi poſſint, quomodo quæſo libertas Noſtra non periclitaretur, ſi Senatores ac potentiores famulis ſuis ſtipati, alieno tempore leges debilioribus, aut abſentibus, nec tale quidquam ſuſpicantibus imponere poſſint.

7. Siquid ſtatuendum eſt, omnium conſenſus requiritur. At ſententiarum in Senatu non modo varietas, ſed etiam repugnantia nec non proteſtationes Suden: Rocen: & Varſavien: diſſenſum arguunt. Ergo ii articuli præter omnium conſenſum conſcripti, ſunt nulli.

8. Quia legatis, qui ad poſtulandum REGEM fuerant amandati, plenipotentiæ reſtrictam poteſtatem dederam, Hoc eſt ad ea tantummodo dicenda, referenda, tractanda, peragenda per prænominatos oratores, & Nuncios, ſeu in vim, effectum, & finem eorum, quæ nullo modo repugnarent Catholicæ Eccleſiæ DEI, S. Sedis Apoſtolicæ Romanæ, Regalibus Regiæ Maieſtatis in Regno Poloniæ juribus, libertatibuſque omnium & ſimul ſingulorum ordinum atque ſtatuum Regni ejuſdem inſtructionibus quibuſvis generalibus, & ſpecialibus, & tam omnium, quam quorumdam conſenſu in contrarium hujuſmodi proteſtationi meæ minime obſtantibus manu mea ſubſcripsi. De quibus etiam ſolemniter, & in forma ampliſſima proteſtor ſicut ſemper publice, & ad partem coram competenti officio proteſtatus ſum latius, & fuſius nomine meo, & aliorum omnium, & ſingulorum mecum in hæc conſentientium, prout de quovis jure & competit, & competere dignoſcitur. Sic & non aliàs aliter, nec alio modo quemadmodum ex ſubſcriptione mea liquido apparet.

Cum itaque multa in his articulis ſint, quæ DEUM lædunt, Regiam dignitatem convellunt, authoritatem Senatûs imminuunt, obedientiæ ſubtrahendæ poteſtate unicuique data, ſeditionibus iter

aperiunt, unitatem Regni ſcindunt, libertatem opprimunt, atque adeo totam Reipublicæ formam immutant, ideo nulla ratione ad eos articulos, vel confirmandos, vel conſtituendos aſſenſum noſtrum præbere poſſumus, imo verò de nullitate eorum omnium, & ſingulorum ex ſuprafcriptis rationibus ſolemniter proteſtamur.

Publica quoque Regni jura quibus Sacr: Reg: Majeſtas Veſtra ſolemni jurejurando ſe ſubdidit, & obligavit, nullo modo patiuntur taliter promulgata, prout illi articuli conſcripti ſunt, aliquam vim, robur aut auctoritatem juris, & conſtitutionis habere. Nam ad conſtitutiones novas faciendas requiritur non ſolum conventus particularis & generalis, in eiſque præſentia Reg: Majeſtatis, ſed etiam præterea unanimis conſenſus omnium Prælatorum, Baronum, Conſiliariorum, & Nunciorum Terreſtrium, ex quorum tali conſenſu lex efficiatur. Ex ſententia autem aliquorum, novi nihil unquam ſtatui debet, & ſi quid peculiari quorumdam ſententia ſtatui contingat, id non modo nullam vim ſed nec nomen legum, aut conſtitutionum habere poſſit. Jn quam Sententiam multæ præclariſſimæ leges Regni extant inviolabiliter obſervatæ, & per Sacr: Reg: Majeſtatem Veſtram juxta exigentiam juramenti per eam in manibus Noſtris præſtiti obſervantur. Principio enim Caſimirus A. 1368. fol. 8. & 33. non ſolus agens, ſed cum Prælatis Baronibus, cæteriſque Nobilibus ſenſuum diverſitatem, & varietatem animorum damnat ejuſque incommoda enumerat, atque cum omnibus ordinibus ſtatuta promulgat. Similiter Joanes Albertus An. 1496. fol. 96. decernit ſtatuta ſua communi conſultatione cum Prælatis, Baronibus, & Nunciis, Ordinibuſque ſpiritualibus, & ſæcularibus promulgata perpetuo duratura, & obſervanda. Similiter etiam Alexander REX fol. 112. teſtatur ſe jura Regni, & de unanimi voluntate & laude communi, ac ſenſu Prælatorum, Baronum, qui ibidem nominatim recenſiti ſunt, & Nunciorum Terreſtrium conſtituiſſe, & condidiſſe. Jdem REX An. 1505. fol. 56. de conſilio, ſcientia, & unanimi voluntate omnium, & ſingulorum Prælatorum Spiritualium, & ſæcularium, Conſiliariorum, & Nunciorum leges à ſe datas recenſet.

Jdem eodem An. fol. 115. leges ſuas à Rmis: Rdis: Magn: Generoſis & Nobilibus Prælatis ac Baronibus & Nunciis conſenſu ſuo moderatas fatetur. Jdem iterum An. 1505. ſanxit nihil novi conſtitui poſſe niſi de unanimi conſenſu Conſiliariorum, & Nunciorum. Jtem Sigiſmundus quoque REX An. 1507. fol. 1. leges ſuas de omnium conſenſu conditas ſcribit, & poſtea fol. 2. eas tantum leges duraturas decrevit, quæ ſunt unanimi omnium Ordinum & totius Conſilii conſenſu editæ. Et tandem An. 1532. ad emendanda omnia Regni jura, & dubietates tollendas deſignavit idem REX tam Spirituales

quam

quam sæculares personas. Jdem Anno 1520. fol. 20. diversitatem Constitutionum damnat, eas inter homines diversas generare controversias scribit. Jdem Petricoviæ An. 1538. & Cracoviæ An. 1539. consensum Ordinum, & Comitia generalia ad Constitutiones faciendas juxta privilegium Alexandri requirit.

His itaque de causis Sacr. Majest. Vestram oramus atque obtestamur ne unquam tali injuria partem vel maximam Regni afficiat, ut alterius gratia supradictos articulos confirmare velit quin potius illos pro nobis in posterum habere & omnino rejicere dignetur, uti rem utilitati Reipublicæ maxime contrariam, & perniciosam.

Cum igitur inter leges Regni sufficiens formula confirmationis jurium, & libertatum omnium Ordinum per Regiæ Majestatis Vestræ Prædecessores tradita & ab illis hactenus observata contineatur; instamus, & efflagitamus, ut juxta veterem, & consuetam illam formulam quam etiam Majestas Vestra in sua Coronatione in manibus meis de more nihil prorsus præter Lituaniæ mentionem ob utriusque Provinciæ unionem addendo juravit, Regia Majestas Vestra ejusmodi jurium & libertatum confirmationem, quâ nunc potitur, tantummodo concedat, eamdemque Confirmationem secundum iam dictam veterem formulam in manibus meis sic juratam duntaxat ab ipsa S. Majestate Vestra exposcimus, & requirimus. Cumque dictis Statibus & Ordinibus invitis secundum jura prædicta Majestas Vestra quicquam statuere nec debeat, nec possit, si contingat hanc confirmationem aliter quam hic a Nobis petitur quoquo modo, & ex quacumque causa concedi similiter etiam nominibus quibus supra contra talem concessionem tanquam nobis invitis innovatam formæque antiquæ et legibus Regni contrariam, ac ideo ipso facto irritam, & nullam omni meliori modo protestamur. Cracoviæ Die 19. Mensis Martii Anno Domini 1574.

FOEDUS OLIVENSE.

19. Confugiunt secundo loco Diffidentes ad Fœdus Olivæ, quod Poloniæ & Succiæ Reges gravi bello defatigati inierunt anno 1660. In Acta hujus fœderis quædam leguntur inserta, quæ Acatholicis favere videntur. Quia vero hæc illi arripiunt summa aviditate, objiciunt vehementissime, tenacissimeque defendunt;

ita detur nobis hæc venia, ut in refutando simus paullo copiosiores. Serviendum est caussæ. Quod per nos licet, id pollicemur; nihil nos abs re, nihil extra rem esse dicturos.

20. Articulo Secundò ita cautum est. (d) *Generali Amnestia gaudeant omnes & singuli cujuscumque Status, Conditionis, & Religionis fuerint; ut & omnes Communitates, quæ ab utrinque partes hostiles secutæ sunt, aut in hostilem possessionem devenerunt: Nec ullis hoc bellum præjudicio & noxæ sit Juribus, Privilegiis, & Consuetudinibus generalibus & specialibus, tam in Ecclesiasticis, quam in Civilibus profanisque, quibus ante hoc bellum gavisi sunt; sed iis in totum fruantur secundum leges Regni: Nec ullis Communitatibus, aut privatis, ratione adhæsionis hosti, actio intentabitur; ita ut nemini liceat alicui negotium facessere ratione adhæsionis hostilis ullius, aut eam exprobrare.* Et paullo post (e) *Civitatibus Prussiæ Regalis, quæ in potestate suæ Majestatis Regiæ Regnique Sveciæ fuerunt, manebunt itidem omnia Jura libertates, & Privilegia, quibus, sive in Ecclesiasticis, sive in profanis potitæ sunt ante hoc bellum: salvo libero, ut ante bellum viguit, in prædictis Civitatibus Catholicæ & Evangelicæ Religionis exercitio: earumque Territoria, Magistratus, Communitates, Cives, Incolas, & subditos Sacra Regia Majestas Poloniæ, eâdem, qua olim, clementiâ & gratiâ Regiâ in posterum prosequetur, fovebit, ac tuebitur: Dabitur iisdem quoque facultas ædificia publica & privata per injuriam belli destructa reficere, & reædificare.*

21. Hæc nobis verba ad expendendum proposita. Quod ut fiat recte & ex ordine, duo inquirenda sunt: primo, qui homines hic describantur; deinde qua conditione in pristina jura sint restituti.

22. Ad primum quod attinet; Legati Externorum Principum, qui Dissidentes tuentur, non illis modo qui tum erant; sed omnibus etiam post futuris in Polonia Dissidentibus cujusque generis ac Religionis, Lutheranis nempe, Calvinistis, Arianis, Quackeris, Anabaptistis, Mennonistis &c. hoc Articulo cautum putant. Verum si pura mente atque integra, & fœderis Olivensis

(d) Dumont. *Corps Diplom. Tom. VI. pag.* 304. *Art.* 2. §. 2. (e) *Art.* 3.

ſis occaſio, & laudati Articuli verba perpendantur, facile apparebit, nullum inde patrocinium, nullam ſuffragationem noſtris Diſſidentibus peti poſſe.

23. Etenim belli tempore, quod à Poloniæ & Sueciæ Regibus acriter gerebatur, multi tam Suecorum quam Polonorum à Rege ſuo defecerant, & hoſtiles partes ſecuti fuerant. Eo igitur crimine ſe obſtrinxerant, quod eſt Rebellionis; atque iis in pœnis hæſerant, quæ contra Rebelles à legibus ſunt conſtitutae. Jnitur tandem inter duos Reges Fœdus Olivenſe: Atque ad ſananda graviſſima belli vulnera, optimum factu inter cætera viſum eſt, iis etiam conſulere, qui illo ſe bello implicuerant, & in hoſtilem ſive partem, ſive ditionem tranſiverant. Jtaque generalis Amneſtia indicitur; hoc eſt memoria omnis diſcordiarum oblivione ſempiterna deletur; defectoribus ab utrinque culpa condonatur; caveturque: ne ullis aut Communitatibus aut privatis cujuscumque Religionis ſint, *ratione adhæſionis hoſti, actio intentetur*: ne omnino liceat iſtorum alicui negotium faceſſere *ratione adhæſionis ullius hoſtilis*, aut eam exprobrare: ne denique ullis *hoc bellum præjudicio & noxæ ſit* juribus, privilegiis, ac conſvetudinibus, &c, *quibus ante hoc bellum gaviſi ſunt*; Sed iis in totum fruantur ſecundum leges Regni. Hæc Articuli verba ſunt; ſed clara adeo & aperta, ut eorum vim non aſſequatur, niſi qui nolit. Accedamus igitur ad cauſam: Et quoniam de Polonis nunc agitur, non de Suecis; quæramus, quinam Polonorum cauti hoc loco poſſint intelligi? Profecto ii dumtaxat, qui belli tempore *partes hoſtiles ſecuti fuerant, vel in hoſtilem poſſeſſionem devenerant*; hoc eſt, qui aut Regi Suecorum faverant, aut armis domiti eidem ceſſerant: iſtos, inquam, unice deſcribere oportuit, iſtis cavere: Etenim ridiculum valde fuiſſet aut iis ignoſcere, qui nunquam peccaſſent; aut in priſtina jura illos reſtituere, qui ea nunquam amiſiſſent.

24. Duo igitur hominum genera hic definiuntur. Unum eſt eorum, *qui hoſtiles partes ſecuti ſunt*; alterum eorum, *qui in hoſtilem poſſeſſionem devenerunt*. Si eos requiramus, qui in hoſtilem, hoc eſt Suecorum poſſeſſionem devenere; inveniemus unas

Pruſſi-

Pruſſiæ Regalis Civitates, earumque incolas, qui Catholicæ & Evangelicæ (hoc eſt Lutheranæ) religionis ſint, nominatim deſcribi, præterea neminem. At vero ex Polonis Diſſidentibus multi, iidemque Nobiles magna ex parte Calvini errores ſequuntur. Præterea, ſi qui Lutheri religionem profitentur, non ſunt tamen Cives Pruſſiæ Civitatum. Ergo iſti, cæterique eorum ſimiles, nullo jure ad hoc caput fœderis Olivenſis confugiunt, quod ſolis Pruſſiæ Regalis incolis poteſt opitulari.

25. Si vero inveſtigare velimus qui inter Polonos ad arma pro Suecis convolarint, *& partes hoſtiles ſecuti ſint*; apparebit debuiſſe, partim eſſe Catholicos, partim Diſſidentes. De Catholicis nihil hoc loco: tota de Diſſidentibus quæſtio eſt.

26. Doceant igitur Diſſidentes, primo: inter eos qui Suecis tunc adhæſerunt, fuiſſe enumerandos omnes Mennoniſtas, Anabaptiſtas, Quackeros, Arianos, Lutheranos, Calviniſtas, & ſi qui ſunt alterius Religionis, quæ nunc Rempublicam turbet: & tunc fortaſſe etiam per nos licebit, ut ad ipſos quoque amneſtiæ beneficium pertineat. Sed hoc qua ratione præſtare poterunt?

27. Doceant ſecundo; Fœdus Olivenſe, non modo iis Diſſidentium qui tunc defecerant, eorumque Nepotibus conſuluiſſe, prout paci illius temporis & amneſtiæ expediebat; Sed & illis, & omnibus Diſſidentibus qui deinceps fuiſſent, ob aliam quamcumque etiam futuram cauſam, & in perpetuum præcaviſſe. Verum neque hoc docebunt ullo modo; niſi prius omnium populorum jura, omnium gentium morem atque inſtituta perverterint. Etenim hoc habet proprium omnis Amneſtia recte atque ordine conſtituta, ut iis, qui belli tempore hoſtium partibus adhæſerint, condonet culpam; juraque illa reſtituat, a quibus causâ defectionis exciderant. Ergo, quæ antea commiſſa fuerant, reſpicit amneſtia; non certe quæ deinceps, atque in perpetuum committi poſſint. Et revera, ni ita eſſet; primo contra omne jus faſque infligeretur vulnus graviſſimum ſupremæ illi poteſtati, quæ Principibus a DEO facta eſt, aut novas ferendi leges, aut veteres immutandi, ampliandi, circumſcribendi, prout

Rei-

Reipublicæ ſalus atque utilitas poſtulaverit. Deinde meliore gradu eſſent qui aliquando a Principe defeciſſent, quam qui in fide conſtantiſſimi permanſiſſent: Jſtos ſiquidem pro loco & tempore, novis Princeps legibus cohibere poſſet, atque obligare: Dum e contrario defectores in gratiam recepti eo privilegio fruerentur ampliſſimo, ut nemini liceret eorum jura tollere aut imminuere: quod quidem privilegium vix liberis populis impertiri ſolet, qui ultro eâque conditione ſe Principi dediderunt, ut quovis tempore, ſuis & juribus, & legibus, & conſuetudinibus pacatiſſime frui poſſent.

28. Jtaque Amneſtia Olivenſis ad illam unice cauſam ac tempus pertinere debuit, quo firmata eſt atque ſancita. Vi hujus Amneſtiæ Reſpublica cavere tenebatur, *ne ullis Communitatibus aut privatis ratione adhæſionis hoſti* (nempè Suecis) *actio intentaretur: ne quibusvis liceret alicui negotium faceſſere ratione adhæſionis ullius hoſtilis, aut eam exprobrare: ne denique ullis id bellum præjudicio & noxæ eſſet juribus, privilegiis ac conſuetudinibus generalibus & ſpecialibus, tam in Eccleſiaſticis, quam, in Civilibus profaniſque, quibus ante id bellum gaudebant. Sed iis in totum fruerentur ſecundum leges Regni.* Num non hæc omnia religioſiſſime præſtitit Reſpublica? Quis unum aliquem ex iis qui tum Suecis faverunt, deinceps ob eam cauſam vexavit afflixit, in jus vocavit? Confecto bello, num non amiſſa jura recuperarunt tam in Eccleſiaſticis, quam in Civilibus? Nonne iiſdem ſemper gaviſi ſunt, hodieque eorum Nepotes ita gaudent, ut Diſſidentibus per Leges Regni permittitur? Ergo, quod Diſſidentibus ex Fœdere Olivenſi debebat, Reſpublica jam exſolvit. Quid volunt amplius? Etiamne ad omnia tempora in perpetuum, ad univerſos Acatholicos ſui ſimiles, & ad omnes cauſas quamvis diſſitas & disjunctas, Amneſtiæ beneficium extendere? Etiamne ſummam Reipublicæ poteſtatem aut adimere, aut circumſcribere; ne novis legibus, & ex opportunitate, communi omnium ſaluti, concordiæ, libertatique proſpiciat? Si hæc poſtulant, quæ certe intolerabilia ſunt, caveant, ne Externorum Principum ad quos confugerunt, patrocinio abuti videantur.

29. Sed venio ad alterum caput, quod erat de conditione, quâ defectores in amissa jura restituebantur. Dico igitur Pacem Olivensem neque Lutheranæ, neque Calvinisticæ, neque Arianae, neque alterius cujuspiam Sectæ generatim in toto Regno Poloniæ Magnoque Ducatu Lithvaniæ, tutelam ac defensionem suscepisse: proinde Acatholicos neque in Ecclesiasticis, neque in Civilibus eodem jure esse posse, quo sunt Catholici. Profecto cum Olivensis Amnestia Dissidentibus, qui bello Suetico-Polono se implicuerant, permittit, ut in totum fruantur juribus, Privilegiis, Consvetudinibus generalibus & specialibus, tam in Ecclesiasticis, quam in Civilibus profanisque, quibus ante id bellum gaudebant; non id absolute, non generatim, sed ea conditione permittit, ut *iis in totum fruantur secundùm Leges Regni*, Leges nempe, quæ vel scriptæ jam essent, vel in posterum scriberentur. (g)

30. Nego ullam esse latam, aut extare legem Regni, quæ Dissidentibus ita faveat, ut communi jure Polonorum uti possint. Immò vero etiam illud confirmo, quotquot adversus hæreticam pravitatem sancitæ sunt leges, aperte contra ipsos pugnare. Antiquiores mitto, quibus Hussitæ, aliique Bohemiæ Hæretici jam à Sæculo quintodecimo prohibiti sunt in Polonia pedem ponere. (h) Anno 1520. Sigismundus Rex primus, ut Lutheranam labem jam serpere incipientem comprimeret, non modo plura decrevit, quibus Catholicæ Religionis incolumitati prospiceret, sed etiam Anno 1538. severissime in eos animadverti jussit, qui perditam Lutheri aliorumve Hæreticorum doctrinam profiterentur. In Comitiis quoque Generalibus Petricoviæ habitis Anno 1550. consensu omnium Ordinum proscriptionis pœna in illos est constituta, qui à Religione Catholica defecissent. Et quoniam, ut dictum est Sigismundi præsertim Augusti Regis nimia indulgentia fecerat (i) ut multi deinceps Poloni hæreticorum erroribus depravarentur, eoque nomine Statum Reipublicæ perturbarent; ita consecuta est *Pax Religiosa* Anno 1573. Sed jam satis ostendimus Articulum de Religione in Acta illius Pacis insertum, non esse legem; (k) & quamvis lex esset, Dissiden-

(g) Vide supra *Pag:* 22. (h) *pag.* 12. & *seqq.* (i) *Pag:* 3. (k) *Pag:* 9. 12.

ſidentibus tamen non omnino favere (l) cum neque Superiores leges abrogaverit, neque Acatholicis poteſtatem ullam fecerit, aut ullum jus attribuerit.

31. Re quidem vera Pacis hujus beneficiô Anno 1618. 1661. & 1670. (m) Ariani privati ſunt; atque id nemine reclamante, ne ipſo quidem Sueciæ Rege. Privati item Anno 1697. Mennoniſtæ, Anabaptiſtæ, & Quackeri; licet & ipſi inter Diſſidentes cenſerentur. Quid, quod Reſpublica in Comitiis anni 1632. decrevit, ut in quibus civitatibus Diſſidentes publicum haberent religionis ſuæ exercitium, illud retinerent; ſed nova Templa, ubi non eſſent, ædificare; nulli Diſſidentium ſectæ permitteretur? Cui quidem Legi cæteræ reſponderunt, quæ conſecutæ ſunt Annis 1648. 1668. 1674. (*) Quia verò per fraudem

D ma-

(l) *Pag.* 11. (m) Lengnich. *ad* Pacta Conventa *art.* 6. *pag.* 45 & 46.

(*) *Tom.* 5. *Vol. Leg. An.* 1674. *pag.* 196. & 197. *Tit. Confœderatio Generalis Varſavienſis.* " In Civitatibus Regni ubi inpræſenti in fa-
„ nis a ſe in hunc finem erectis publicum habent Religionis
„ exercitium Diſſidentes, ibidem ejus & in poſterum quemadmodum
„ & nunc uſum habere poſſunt. Ubi autem fana in hunc finem
„ ſeparata non habent, ibi eadem ad evitandos tumultus non eri-
„ gent, Ducatûs vero Masovienſis Jura ſua intuitu Religionis in-
„ tegra & illibata eſſe volumus. Quippe devotioni suæ Domini
„ Diſſidentes privatim in ſuis hoſpitiis advenientes pro Actibus pu-
„ blicis vel pro cauſis ſuis forensibus & ad aulas Procerum com-
„ morantes, (excluſis tamen Plebejorum Servitoratibûs) absque con-
„ ventibus, vacare ſecurè poterunt.

Itidem Num. 4. *Tom. V. pag.* 196. " Confœderatio hæc nullatenus pa-
„ trocinari poterit Arianis uti lege publica proſcriptis, neque A-
„ poſtatis à fide Catholica Romana & Unitorum, ab hinc transeun-
„ tibus; quinimo omnes Conſtitutiones contra Arianos latas reaſ-
„ ſumimus & confirmamus perpetuis temporibus. Cavemuſque ut
„ in quovis ſubſellio, etiam in Judiciis Capturalibus nunc tempo-
„ pore hujus Interregni, cum quolibet Neophyto utriuſque ſexûs &
„ fautoribus illorum, ſi qui in Regno vel Magno Ducatu Lithuaniæ
„ reperirentur, ad cujuſvis inſtantiam, Lex iſta executioni deman-
„ detur; Apoſtatæ autem præfati abhinc convicti in foro fori exi-
„ liô puniantur. *Vide eodem Tom. seu Vol. V. fol.* 197. *Num.* 5.

Itidem Articuli Pactorum Conventorum in Electione Joannis III. REGIS hæc ſtatuunt ſub Titulo *Ordo Electionis Varsavienſis* An. 1674. *fol.* 264. *Num.* 17. " Quamvis veteres Leges nulli ſubjaceant dubi-

malitiamque, Acatholici præscriptis sibi finibus minime continebantur, & legum istarum vim ad arbitrium libidinemque suam eludebant; sic Comitiis Varsaviensibus Ann: 1717. iterum sancitum fuit: *ut præter antiqua fana cum libero in iis exercitio, ante leges supradictas* (scilicet ann: 1632. 1648. 1668. & 1674. latas) *extructa, nova fana erigere non liceat*: Acatholicis verò, quibus hæc

,, tationi: ut REX sit Catholicus, tamen perpetuis temporibus providendo nunc & in posterum, lege cavemus pro Nobis & Successoribus Nostris, quod quemadmodum Nos REX Catholicus, sic & post nos nullus Princeps alterius Religionis in REGEM Poloniæ & Magnum Ducem Lithuaniæ eligatur vel nominetur, nisi is qui sit actu, quemadmodum esse debet, Romanæ Orthodoxæ Religionis Catholicæ; ejusdem Religionis Catholicæ esse debet & Regina sive Natione sive vocatione.

" Et quoniam in hoc præclaro Regno Polonæ, Lithuanæ, ac Russicæ Gentis, non pauci reperiuntur in Religione Christiana Dissidentes, providendo exemplo Antecessorum Nostrorum ne in posterum aliquæ seditiones & tumultus ex hac causa vel scissiones aut discordiæ in Religione exoriantur, quemadmodum cautum est Confœderatione Generali Varsaviensi nuper habita in causa Religionis Christianæ: pacem esse inter Dissidentes in Religione Christiana conservandam; eandem Nos retinebimus perpetuis temporibus; non obstantibus quibuscunque protestationibus adversus hanc Confœderationem post eandem Convocationem factis, salvis Juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, integra tamen in omni Dissidentium de Religione Christiana pace & securitate, ita quemadmodum veteribus Legibus & Confœderationibus sancitum & cautum est.

Nota: Exorbitatum fuit à Dissidentibus, contra has tolerantiæ leges, 1mo. Quia ultra Civitate Regias, (puta Cracoviensem, Vilnensem, in quibus ex Rescripto Regio fana constructa pro se habebant) ad omnes Civitates Regales suam Religionem extendebant, non parcendo etiam Civitati Varsaviensi sub exceptione Ducatûs Masoviæ consistenti. 2do. Exorbitatum est, quia cum ad bona hæreditaria Nobilium lex tolerantiæ extensa non fuisset, in his quoque fana erigi audebant. 3tio Exorbitatum, quia in civitatibus Prussiæ Acatholici Catholicos a Magistratu & contuberniis artificum, contra Constitutionem Anni 1638. excludebant, & excludunt. 4to. Exorbitatum, quia per ipsosmet Dissidentes Jurisdictio tam Spiritualium quam Sæcularium Dominorum primo interregno Anni 1573. fuit relicta in subditos sartatecta & integra, hanc illi sub prætextu tolerantiæ excutiebant. 5to. Fuit per ipsosmet cautum An. 1573. quod Beneficia Clericis Romanis juxta Statutum conferentur: ipsi tamen ad Ecclesias vacantes Religionis Romanæ in suis Hæreditatibus, suos Ministros Protestantes promovebant.

hæc ſana non ſint, privatus tantummodo cultus in eorum domibus permittatur, *absque tamen prædicationibus & cantationibus.*

32. Res ita erant proviſæ, cum anno 1733. nova lege frenum Hæterodoxis injectum eſt, quorum nonnulli clam & contra jus Regni, in honores ac Magiſtratus ſe intulerant. Itaque *Salvis modernis poſſeſſoribus*, quibus parcere Reſpublica ſatius duxit; vetitum eſt in poſterum, Diſſidentibus in Senatu, in Conclavi Nuntiorum, in Tribunalibus habere locum; commiſſiones exercere; dignitates quaſcumque, ſive Regni, ſive Palatinatuum, ſive locorum tam Terreſtrium, quam Caſtrenſium quovis nomine obtinere. Atque hæc quidem ſanctio, non modo paulò poſt, anno ſcilicet 1736; ſed etiam nuperrime, hoc eſt fœdere anni 1764. pactisque cum Rege qui nunc regnat conventis, renovata eſt, & confirmata.

33. Patet igitur ab antiquiſſimis temporibus ad hanc uſque diem, leges Regni Diſſidentibus adverſari; & ſi vel indulgentiâ, vel toleratione largitæ ſunt aliquid; nunquam tamen illis id conceſſiſſe, ut in Republica eodem eſſent jure quô ſunt Catholici.

34. Quid ergo leges Regni, juxta quas fœdus Olivenſe compoſitum eſt, tandem permittunt? Primo pacem cum Diſſidentibus: qua quidem pace ſic Diſſidentes fruuntur, ut ſuis machinationibus Externos Principes contra Patriam impellere per ſummam injuriam nunquam deſiſtant. Deinde Privilegia quædam Catholicorum Acatholicis Polonis impertiuntur: quæ tamen Privilegia ſi cum iis conferantur, quibus utuntur nunc Diſſidentes; longe plura à conſuetudine invenientur permiſſa, quam lege ſint ac jure conceſſa. Sunt autem hujusmodi: Poloni illi Nobiles cum filiabus Nobilium Polonorum connubia ineunt: filias item ſuas Polonis nobilibus elocant: dotem, ſucceſſionemque recipiunt: bona ſua more aliorum Nobilium poſſident: cum his quoque judicia illis ſunt communia: non captivantur, niſi jure victi. Solent item frequentare Provinciarum ac Terrarum Conventus œconomicos, vocemque liberam in ipſis habere, modò negotia ſua cum Catholicæ Religionis detrimento non urgeant. Compluribus in locis,

ubi conventiones legesque ipsis permisere, habent sua Templa. Multi præterea sunt in Urbibus, atque in Civitatum Prussiæ Polonæ, Magistratibus; a quibus tamen contra æquum bonumque Catholicos exstirpare contendunt. Acatholici vero, qui Nobiles non sunt, Mercatores nempe, Artifices, Coloni, ac Rustici, plenam habent libertatem habitandi, ditescendi, vivendique in Civitatibus, Oppidis, ac Pagis, sic ut nemo ipsos, si illuc venerint suumque domicilium fixerint, inde exturbet, aut expellat. Ritus quoque suos ac Sacra privata tam in suis fanis, quam domibus obire, ad eaque celebranda convenire nemo ipsis prohibet, nemo impedit: quinimmò ii, qui apud ipsos rem sacram curant, habent pro se legem Regni, cujus vi in foro sæculari debeant respondere. Hæc sunt, quæ Polonis in Polonia Dissidentibus, vel ex indulgntia legum, vel ex consuetudine permittuntur.

35. Jam vero ex toto legum nostrarum Volumine quam possunt legem afferre, quæ jus tribuat Hæterodoxis, injussu Catholicæ Religionis, vel Templa ubi velint ædificandi; vel Baptismum, Sepulturam, Metrimonia libere peragendi præterquam in locis, de quibus fœdere cautum sit? Quam Regni Constitutionem adlegabunt, quæ Catholicis æque ac Dissidentibus, vel in Senatu, vel in Conclavi Nuntiorum, vel in judiciis, vel in jurisdictionibus locum, & jus agendi concesserit? ad honores aditum patefecerit? viam ad Magistratus muniverit? Nullam prorsus. Nisi forte Constitutiones Regni illas esse putant, quas in privatis seditiosisque suis conventiculis sibi ipsi conflarunt; & & quas nulla unquam, nulla hucusque; Regni Comitia comprobaverunt. Anno 1660, qui annus fuit fœderis Olivensis, nonnulli Acatholici in Senatorum numero sunt inventi. Quæ tum fuit cura Reipublicæ? Novos Acatholicos decedentibus non suffecit; atque ita omnes paulatim à Senatu movit. Post civilia etenim bella, quorum auctores fuerant Dissidentes, & post reportatam ex illis apud Guzovum à Sigismundo III. victoriam; noluit gens Catholica eosdem consilii publici esse participes, quos communi omnium tranquillitati senserat infensissimos. Numerabantur eo tempore inter Acatholicos multæ nobiles splendidæque famili-

miliæ. Hæ ſplendore atque opibus ſuis, non mediocrem Calviniſtarum & Lutheranorum ſeditioni vim addebant & pondus. Sed cum paulatim extinctæ eſſent, vel ad ſinum Eccleſiæ rediiſſent, Acatholicos magno præſidio nudarunt; qui nullam unquam legem Comitiorum auctoritate ſancitam extorquere potuerunt, quâ freti vel Senatoriam, vel Legatorum ad Comitia dignitatem poſſent appetere.

36. At vero extant Privilegia à Regibus impetrata? Scio equidem hæc ab Acatholicis proferri, extolli, exaggerari. Miror tamen eoſdem non intelligere, quanta ſit defenſionis hujus infirmitas, quanta levitas! Etenim demonſtrare poſſem hujusmodi Privilegia vi & factionibus fuiſſe extorta; quare etiamſi à jure legitimo eſſent profecta; nihil tamen, utpote ſubreptitia, poſſe valere.

37. Sed eſto; non ſint extorta; neque inter abuſus Cancellariæ conjiciantur. Quid? ſunt ne adeo rerum noſtrarum rudes, adeo ne hoſpites in Republica; ut ignorent, apud nos, in negotiis præſertim tanti momenti quanti eſt Religio, nihil vim legis obtinere poſſe quod ſine Ordinibus Reipublicæ, ſine conſenſu Senatorum & Nobilium, ſine auctoritate Comitiorum ſit conſtitutum? Reges ipſos per ſe de rebus hiſce gravioribus ſtatuere nihil poſſe, quod ſine Comitiorum conſenſu ratum ſit, ac perpetuum? Etenim, Privilegia Regum ſi valerent, Conſtitutionibus publica auctoritate ſancitis, vim omnem adimere poſſent & adimerent: quod nemo unus, ne inimicus quidem affirmaverit. Itaque Privilegia, ſi quæ extant, quod præſidio publici conſenſûs deſtituuntur, ex ratione & forma regiminis, nullius erunt roboris ac momenti; ſed potius uſurpatio poteſtatis ac legislationis, ab æquo rerum æſtimatore cenſebuntur.

38. Neque igitur vi privilegiorum, quæ nullius ſunt ponderis; neque vi legum, quæ nullæ ſunt, prætenſa Diſſidentium jura firmantur. Atqui ex fœdere Olivenſi *ſecundùm Leges Regni* tractandi erant Diſſidentes. Ergo Fœdus Olivenſe nullo modo Diſſidentibus ſuffragatur.

39. Atque hic quo ad Pacem Olivæ abſoluta res eſſet. Sed adver-

adverſarii non ſinunt , quos longius quam deceat , ardor contentionis provexit. Fidem majeſtatemque Principum Externorum implorant ; & quod more , quod exemplo , quod jure non poſſunt; id extorquere vi , armis , bello conantur. In quo quidem nemo eos non reprehendet tanquam improvidos & inconſultos ; qui dum legis præſidio defendi volunt , legem ipſam infringunt atque ſubvertunt. Ignorare non poſſunt ſuperiores leges morte & publicatione bonorum , poſteriores vero exiliô Diſſidentes tamquam perduelles multare, *ſi externam opem aut tutelam per ſe & Miniſtros efflagitaverint.* (n) Ipſi nihilominus Externos Principes concitant, ad arma compellunt , in Patriam ipſam immittunt ; & legum latarum iniqua oppugnatione , alterius legis , quæ nunquam extitit , vim & patrocinium requirunt. Eſt hoc profectò ſuis ipſis machinis velle concidere , aperte contra ſe ipſum pugnare, & novo ſe crimine devincire.

40. Sed illud eſt gravius multò & acerbius , quod Externi etiam Diſſidentes undequaque diſperſi, Diſſidentium Polonorum cauſam , veluti communem , ſuſceperint ; nec ſatis apparet , quare id ſibi faciendum exiſtimaverint. Sciunt enim aut certe ſcire debent , quidquid fœdus Olivæ de Diſſidentibus caverit , *id ſecundùm Leges Regni* caviſſe. Leges autem Regni non ſinunt Acatholicos in Polonia & Lithuania iiſdem gaudere juribus , quibus Catholici utuntur. Unde ergo in ipſis tantus ardor animi , tantum ſtudium ; ut cauſam Diſſidentium , ſuam eſſe ducant , non ſecus ac ſi de vindicanda fide publica ageretur ? Videant potius , ne dum Civibus inquietis favere ſtudent , publicam ipſi fidem , & jus , & poteſtatem oppugnent.

41. Sit autem illis exemplo quidquid à Principibus ſuæ Communionis factum fuerit : etenim illi in ſuis Regnis , ut Dominantem Religionem præſtarent incolumem , Catholicis privatum & publicum Religionis ſuæ cultum interdixere : eoſdem à quovis civili munere prohibuerunt : omni nudarunt beneficio legis , civilis gradûs , ſucceſſionis in paterna bona , etiamque in Regnum , quod jure hæreditario ad ipſos pertinebat : & ſi quæ ipſis con-

(n) *Confœderat. An.* 1733. & *Conſtit. An.* 1736.

conceſſere; ea ad unam ſummam vel clementiæ, vel liberalitatis ſuæ referri voluerunt. Interrogati quo jure id fecerint? ad ſupremæ poteſtatis jus provocant, (o) cujus unius ſit quamcumque Religionem dominanti contrariam, liberè & ex arbitrio aut tolerare aut proſcribere: *Diverſam Religionem profitentes tolerari poſſunt ea lege, ut exercitium publicum ſuæ Religionis iiſdem non permittatur, vel ut permittatur, ſive ſimpliciter, ſive certo modo reſtrictum; ut prædia poſſidere poſſint, vel ut nequeant; ut Officiorum publicorum ac dignitatum civilium ſint capaces, vel incapaces; & quæ ſunt alia hiſce gemina* (p) Sit ita: Non enim video, cur meum non agam negotium. Ergo ſi Reſpublica, quæ alio tempore Diſſidentibus impertiverat, poſtea ademiſſet, causâ præſertim Catholicæ Religionis, quæ apud nos dominatur, tutandæ; non id pro ſua legitima, perenni, optima & poteſtate & auctoritate feciſſet? Certe quidem. Ergo neque iſtorum eſſet, neque alterius cujusquam Principis hoc jus Reipublicæ, niſi per ſummam injuriam, aut denegare, aut adimere; aut imminuere.

42. Etenim apud omnes, qui de jure ſive publico ſive politico ſcripſerunt; illud firmum eſt ſtatutumque; nullum Principem in alienæ Dominationis, à ſe minime dependentis, leges involare, in illasque uti & in illarum transgreſſores, aliquid juris poſſe ſibi arrogare: *Se gouverner de ſoimême à ſon gré, c'eſt l'appanage de l'independance. Un Etat ſouverain ne peut être gené à cet egard. Un Souverain eſt en etat de traiter, en ennemis ceux qui entreprennent de ſe meler, autrement que par leurs bons offices, de ſes affaires domeſtiques* (q) Suprema enim poteſtas, quæ à Deo unice proficiſcitur, hoc habet proprium: ut nulli præter DEUM, factorum rerumque ſuarum rationem reddat; neve patiatur à quoquam ſibi onus imponi, aut terminos circumſcribi.

43. Jam vero ſuffragante ſibi hoc jure Gentium, nunquam permiſit Reſpublica, ut quacumque ſub conditione Nationes exte-

ræ

(o) Grotius *de Jure ſupremæ poteſtatis circa Sacra cap.* 8. (p) Wolfius *Juris Naturæ* Tom. 8. §. 597. (q) Vattel *Droit des Gens. l.* 2. *cap.* 4. *Nro.* 57.

Wolfius *Juris Naturæ Tom.* 1. *Nro.* 134. 136. & *Tom. VIII. Nro.* 51. & *Juris Politici Tom.* 1. *Nro.* 265.

ræ alienas ſibi Religiones imponerent, earumque ſe ſe patronos ac defenſores declararent. Quam quidem in tuendo jure ſuo conſtantiam ſtabilem & non mutatam, declaravit potiſſimum in Comitiis anni 1632. cum Acatholicos, qui audebant minas jactare, pericula opponere, formidines intendere, ita jugulandos cenſuit: *Hæreſim advenam precariò degentem in hoc Regno, à legitimis rerum dominis poſſeſſoribusque antiquis, extorquere nil poſſe: Sed quidquam vel minimum ipſi conceditur, à ſponte offerentibus grato animo accipere debere. Quod ſi vim præferret, certò ſciret, Reipublicæ ad vindicandas leges patrias, religionemque avitam conſervandam, animos ac vires non defuturas.* (r) Clarum eſt igitur, & Diſſidentes qui efflagitant, & externos Principes qui patrocinium Diſſidentium arripiunt, contra jura Reipublicæ apertiſſime facere.

44. At, inquiunt, Pax Olivenſis hanc Diſſidentium eorumque religionis tutelam Externis Principibus tribuit. Ita ne vero? Si me audiverint, ex ipſo Fœdere Olivenſi docebo, jus iſtiusmodi defenſionis non modo ipſis non conceſſum, ſed prorſus eſſe negatum; propterea, ſi illud ſibi aſſumunt, nec æquum eſſe, neque legitimum.

45. Profero omnium præſtantiſſimum, probatiſſimumque ipſis Diſſidentibus teſtimonium: librum dico cui titulus *Acta Pacis Olivenſis.* Librum hunc ſumma diligentia ac fide compoſuit, inque lucem edidit anno 1763. Joannes Gottlob Boehmius Lipſienſis Profeſſor. Ex Diariis maximæ auctoritatis petitum eſt opus, ex Diario nempè Autographo fœderis Olivenſis, ab inſigni viro Joachimo Paſtorio, qui ibi tum præſens aderat, conſcripto: ex altero Diario Suetico, quod Auctori conceſſerat, & ex Archivo Regni Sueciæ traxerat Comes Echebladius illius Regni Cancellarius: item ex Diario Livoniæ, & Daniæ; tandemque ut alia omittam, ex Diario Chriſtophori Pac Magni Cancellarii Lithuaniæ. In afferendis verò ex hoc libro teſtibus, duo ſunt potiſſimum attendenda. PRIMUM EST, Suecos omnibus modis ac viribus contendiſſe, ut in Olivenſi Tractatu ſibi tribueretur nomen Cautorum, Defenſorum, Patronorumque Sectæ Lutheri in Regno Polo-

(r) Paulus Piaſeccius in *Chron. Europæ pag.* 448.

Poloniæ ; ſed Polonos non minori niſu huic conatui reſtitiſſe, patrociniumque hoc, ac tutelam Suecicam conſtanti animo rejeciſſe: ita ut nullam omnino Religionum defenſionem Externo cuivis concedendam cenſuerint. Alterum est, ipſummet Hoverbequium Legatum extraordinarium Vilhelmi Electoris Brandeburgici (is Sereniſſimi Regis Pruſſiæ nunc feliciter regnantis Atavus fuit) pari cum Polonis fortitudine & conſtantia huic Suecorum conatui repugnaviſſe; hancque cujusvis Externi Principis tutelam Religionum, ut noxiam fatalemque Regno Poloniæ, rejeciſſe palam, & repudiaſſe: quod ſane illi mirum videbitur, qui cum iis temporibus hæc noſtra conferat, quibus noſtri Diſſidentes Diſſidentium cautionem à Fœdere Olivenſi impoſitam eſſe contendunt. Jtaque ne fingi hæc à nobis quispiam putet, juverit ipſius Diarii loca ad verbum exſcripta ſubjicere, & opportunis animadverſionibus illuſtrare.

46. Tomo Primo *pag*: 88. ſic habet: *Die primâ Februarii poſt meridiem &c. ad Punctum Religionis; Reſponſa ad Propoſitiones Suecicas: Cum lecta eſſet reſponſio, addebat* Prażmowſki, Magnus Poloniæ Cancellarius: *Nolumus Suecos apud nos & in Regno noſtro habere Apoſtolos*: Leſzczyńſki Palatinus Poſnanienſis: *Nolumus ut ſint Dii tutelares Diſſidentium apud nos. Protectio Externorum Principum nobis eſt ſuſpecta. Ipſe Sereniſſimus Rex noſter per ſe ex obligatione ſua paratus eſt ſervare Religionem liberam. Hoc ipſo bello durante, novis Diplomatibus libertatem iſtam confirmavit. Unum Diploma generale quò ad Diſſidentes publicatum eſt Gedanenſibus Typis; alterum ſpeciale habent Frauſtadienſes* =

47. Cum audiant Regia Diplomata nominari, hinc fortaſſe occaſionem arripient Diſſidentes Privilegia ſua vindicandi, de quibus antea eſt diſputatum. Sed in hoc errabunt. Diximus enim Privilegia Regum, quæ Reipublicæ legibus non adverſentur, & Comitiorum auctoritate ſint communita, apud nos omnem vim & habuiſſe & habere (s); cujusmodi ea erant, de quibus in Diarii verbis eſt mentio. (t) Sed quæ à Diſſidentibus afferebantur, demon-

(s) *Pag*: 29. (t) Boehmius *in Notis ad loc. cit. pag.* 89. „ Univer„ ſalia Joh: Caſimiri de tolerandis neque ullo modo violandis Diſſiden-

monſtravimus vel eſſe extorta, vel noſtris cum legibus pugnare, vel Comitiorum confirmatione deſtitui. Sed Diarii narrationem perſequamur:

48. *Ea igitur ratione* (pergit Leſzczyńſcius) *nos Diſſidentes in Regno noſtro fraternè tractamus: gaudent iiſdem, quibus nos, Privilegiis: Deo committimus, & precibus commendamus illuminationem eorum. Cæterum tutelam Diſſidentium ſi Exteris pateremur dari, magis ambitioni iſtorum, quam noſtræ ſecuritati conſuleremus.* Hoverbequius verò Pruſſiæ Legatus proponebat, *ut patrocinium Religionis, quod ſibi Sueci ſumunt, excludatur,* (*) *& Suecis ſimul præcidatur occaſio & pretextus trahendi in poſterum Religionem in velum iniquitatis ſuae; poſſe medium inveniri, poſſe ita concipi reſponſionem: Ad Religionem cujusquam in Regno Poloniæ ſtabiliendam, non opus eſſe alieno patrocinio; nec ullum admitti, quia Sacra Regia Majeſtas ſatis jam illi caverit, & in futurum cautum eſſe velit.*

49. Hic etiam inſurgent fortaſſe Acatholici, & verba illa Leſzczyńſcii: *gaudent iiſdem, quibus nos Privilegiis*, pro more ſuo intorquebunt. Sed attendant paulliſper, ſint ne ad veritatem. Leſzczyńſcius cirſumſcriptè loquitur: non enim dicit: *gaudent iiſdem omnibus*, ſed *gaudent iiſdem, quibus nos Privilegiis*, id eſt *quibusdam.* Etenim nullam omnino legem proferre poſſunt Diſſidentes, quæ omnia hæc Catholicorum privilegia illis impertiat. Contra verò jam tum extabant leges ante id tempus in Acatholicos latæ, Leſzczyńſcioque notiſſimæ, quæ aut niſi fuiſſent, aut niſi viguiſſent, profectò ex Amneſtia Olivenſi, tunc cum amiſſa Defectoribus jura reſtituebantur, ridiculum fuiſſet addere, *ſecundùm leges Regni.* Ad Diarium revertor.

50. Referendarius Regni Morſztyn inquit: *In genere jam apud nos concluſum eſt nihil penitus permittere, quod Religionis protectionem apud nos Exteris relinquere videatur.* Dominus Liſola Legatus Caeſareus: *Nulla ratione Suecis patrocinii Religio-*

num

„tibus in Religione die 11. Maii 1656. Zamosci publicata ſunt, & Gedani quoque ut latè innoteſcerent, portis affixæ. (*) Conſonat Puffendorfius *de rebus Caroli Guſtavi lib. VIII.* § . 68. Vide infra *Pag.* 35.

num spes & prætextus eripi melius potest, quam si etiam nunc ostendatur & palam fiat, nihil in eorum gratiam Religionis libertati accessisse. Magnus Cancellarius dixit : *Incipiant ordinem Domini Electores Protestantes à se ipsis, ne opprimant Catholicos in suis Ditionibus, permittant his exercitium.* Palatinus Posnaniensis addebat : *Quidquid in Religione facimus, in gratiam Fratrum nostrorum Nobilium, cum quibus Confœderationem habemus (fœdere sanguinis,) facimus. Externis pro cura Religionis non necessaria gratiam agimus, prorsus & in solidum ipsis remittentes.* Referendarius Regni ridens dixit : *Sueci volunt, ut nulla in Religione fiat mutatio apud nos. Ecquid? Si nos vellemus Lutheranam amplecti, constricti his tractatibus non possemus? Deinde ipsi Sueci forsitan Arianis consultum eunt in puncto propositioni suæ inserto : Qui lege publica inserto &c. Sed verba ista concepta sunt, ut magis noceant illis.*

51. Hæc ex Diario fidelissimè excerpta sunt : Quibuscum sane congruit locupletissimum in hac re Puffendorfii testimonium; (u) qui de hoc Religionum patrocinio tunc Suecis negato differens, quod Poloniæ Legati pluribus verbis, ille paucissimis complexus est. Inquit enim : *Contra Poloni disserebant, se nequaquam Hispanicam Inquisitionem toleraturos, ac neminem ad amplectenda Sacra Romana vi compulsuros. Enim verò non è dignitate videri, Suecos huic negotio sesè ingerere. Tutelam Sacrorum ab exteris Principibus profectam valde suspectam & periculosam; nec in hoc ab Exteris sibi præscribi velle. Nostri censebant verba quibus Dissidentibus caveatur, ita ponenda esse : Suecis haud necessarium fuisse Dissidentium causam agere, quum Regi & Reipubl: etiam nemine monente vi præstiti juramenti constans propositum fuerit, & adhuc sit, istis conscientiarum & aliam ipsis competentem libertatem conservare. Sed Poloni reponebant : cum Sueci inter causas belli, ne verbo quidem de Religione mentionem fecerint, non opus quoque esse de hac in pace tangi.*

52. Qui sapiunt omnem, ut opinor, fidem adhibebunt hujusmodi Actis Olivensibus, quæ ex Regnorum Poloniæ, Sue-

 ciæ

(u) *Lib. VIII. de Rebus Caroli Gustavi. §. 68.*

ciæ, Daniæ documentis congesta tales viri conscripsere ; & quæ Puffendorfius ipse homo Lutheranus studiis partium inimicissimus comprobavit. Jam verò Legati & Poloni, & Cæsarei, & Brandeburgici, qui his Actis interfuere, contra tutelàm Religionum in Polonia à Suecis propositam, & apertissimè & constantissime repugnarunt. Non satis. Causas etiam gravissimas adtulerunt, quare hoc patrocinium neque Suecis, neque alteri cuiquam Externo Principi ullo tempore concederetur. Denique sæculum integrum à fœdere Olivensi omnes ita exploratum habuere, jus istiusmodi defensionis nemini esse tributum, ut, quamvis Respublica post id tempus in Arianos animadvertendum censuerit, (w) nunquam tamen Suecorum Rex fidei suæ interesse putaverit, Arianos ipsos tueri, aut vindicare. Valeat igitur quod dixi antea, non satis apparere, cur centum post annis Dissidentes nostri Externos Principes excitent, ut exsurgant, & ad ipsos patrocinandos vocari se putent vi Pacis Olivensis ; cum hæc Pax omnem tutelam Religionum Externo cuivis manifestissimè ademerit.

53. Et quoniam Diarium istud in manus sumpsimus, ne dimittamus quæso, donec etiam ex hoc fonte id confirmetur, quod supra est demonstratum ; (x) nempe Fœdus Olivense nulli Sectæ Dissidentium, qui in Regno Poloniæ & in Magno Ducatu Lithuaniæ sunt, suffragari. Pagina 249. sic legitur: *Cum de Civitatibus Prussiæ tantum agi videretur, Electorales petebant, ut non tantum Civitatibus Prussiæ, sed & Nobilitati Poloniæ pristina privilegia & immunitates in Religione firmarentur.* Legati igitur Electorales Olivæ præsentes, à Nobilibus Dissidentibus fortasse rogati, paullum de sua severitate remiserant, cumque Lutheranis dumtaxat Civitatum Prussiæ liberum exercitium præcaveri animadvertissent, non institerunt quidem, sed perhumaniter postularunt, ut Nobiles Poloni ejusdem Sectæ in communionem Privilegiorum Civitatibus Prussiæ concessorum admitterentur. Quid ad hæc nostri ? Ad unum negarunt omnes : *Nolumus* (ita Diarium citato loco) *Nolumus his caveri per hos Tra-*

cta-

(w) Vide supra *Pag:* 25. (x) *à Pag:* 20 *ad* 29.

ctatus, ne Sueci Religionis patroni sint in Polonia. Alia est ratio Nobilium, alia Civitatum. Nobiles de Privilegiis suis in Comitiis agere possint, & solent. Tunc Electorales: *Nos non nisi benevolum hac in re effectum sollicitamus.* Sed eorum preces nil valuerunt. Quid agi potest ad rem nostram præclarius? Videant quæso Dissidentes, quantæ res hoc testimonio conficiantur. Primum, agebatur dumtaxat de Polonis Nobilibus iisdemque Lutheranis, quales erant incolæ Civitatum Prussiæ. Non ergo de Calvinistis, non de Quackeris, aut de alterius cujusquam Religionis sectatoribus. Deinde Legati Electorales, non ratione & auctoritate, sed tantum precario causam Nobilium Polonorum sollicitabant: quô certe non fuissent contenti, si Nobilium istorum cautio ad summam Fœderis pertinuisset. Tertio denique preces erant de Privilegiis Civitatum Prussiæ cum Lutherana Poloniæ Nobilitate generatim communicandis. At quæ erant hæc Privilegia? Habendi ne locum in Senatu, & in Conclavi Nuntiorum &c. quod nunc Dissidentes contendunt? Quis hoc nominavit? Quis definivit? Quis expressit? Nemo. Sed nimis in re perspectissima detinemur. Poloni Nobiles desiderarint: Legati Electorales petiverint: Nostri nonne repugnarunt? Ergo tantum abest Pacem Olivensem cavisse Dissidentibus, ut potius omnem illis spem præsidiumque præciderit.

54. Sed hic vires instaurant Dissidentes, atque ab ingenti studio, quod Sueci pro eorum cautione, sive tempore Fœderis Olivensis, sive post ipsum Fœdus præsetulerunt, novum argumentum desumunt, quo contra nos pugnant. Huic satis quoque faciendum est. Instant igitur, & Declarationem objiciunt, quam Sueciæ Rex paullo post Fœdus Olivæ per Legatos suos divulgavit. Articulo 2. Pacis Olivensis, ut dictum (y) est, præter Civitates Prussiæ, iis dumtaxat Poloniæ Acatholicis cautum fuerat, qui ad communem Amnestiam spectabant. Suecorum Rex ægre id tulerat, quippe qui voluisset, ut omnes quotquot erant in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ Dissidentes, eodem fuissent Articulo nominatim inserti, ac memorati. Itaque ut studium

(y) Vide Supra *Pag:* 21. & 23.

dium in ipsos suum ea qua poterat ratione significaret, per Legatos suos hujusmodi Declarationem edidit. (z)

55. *Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sueciæ ad pacificationem in Prussia Legati Commissarii Plenipotentiarii, notum testatumque facimus, quod licet à Religione Romano-Catholica in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ Dissidentes in moderno Instrumento Pacis Svecico-Polonicæ Articulo 2do de Amnestia per expressum non sint nominati; dicta tamen Amnestia tam generalis, quam specialis etiam illos concernat, eâque ipsi totâ frui debeant &c. Sobothi 31. Maji 1660.*

56. Quid ad hæc respondebimus? In promptu est. Non poterat luculentius testimonium proferri, quo probaretur, nihil in Fœdere Olivensi contineri, quod ad omnes Poloniæ & Lithuaniæ Dissidentes pertineret; cum ipsimet Sueciæ Legati Dissidentium patroni ultrò confiteantur, *Dissidentes in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ non esse per expressum nominatos in Instrumento Pacis.* Quod si non erant nominati Anno 1660, quem ibidem habebunt locum anno 1767? Et tamen necessario erant nominandi; cum apud omnes Jurisconsultos certum sit ac definitum, *que par la nature même d'une matiere aussi jalouse, que le gouvernement, ne peuvent s'etendre au dela des termes claires & formels des Traités.* (a)

57. At Sueciae Legati declararunt, *quod dicta Amnestia tam generalis quam specialis illos concernat, eâque ipsi totâ frui debeant.* Declaraverint. Cujus tamen ponderis decisio hujusmodi futura est? Num est inserta in Acta Fœderis Olivensis, ut esse debuit? Num ab Legatis Polonis aliisque tunc præsentibus, ut par erat, probata est & subscripta? Neutrum horum. Igitur aut nihil valet, aut nihil plus quam privatum Manuscriptum valebit.

58. Hoc autem vel luculentissime confirmavit Arianorum proscriptio, quam supra memoravimus; (b) & quæ tentari quidem cœpit ante Fœdus Olivense, sed non nisi post idem Fœdus est absoluta. Arianos inter Dissidentes à Religione numeratos volebant

(z) Boehm *Acta Pacis Oliven. Tom. I. pag.* 184. *in append.* (a) Vattel Droit *des Gens. L.* 2. *c.* 4. *Nro.* 57. (b) Vide supra *Pag.* 25 31. & 35.

bant Sueci, & numerabant. Ariani erant Suecorum amicissimi, deque iis egregie meriti. Pro Arianis acerrime Sueci pugnabant, sicut Joh: Gottlob Boehmius (c) scripsit; *Ariani se tutelæ tradiderunt Suecorum, quos causam eorum in hoc conciliandæ pacis negotio maximopere egisse, diserte testatur Kochovius.* Attamen tunc cum ex Polonia Ariani expulsi sunt, an de jure suo dejectos se atque exturbatos doluerunt? an quispiam hoc facto violatum Fœdus Olivense publice conquestus est? Si igitur Declaratio illa Suecica Arianis non profuit, ut prodesse non debuit, licet & ipsi utpote Dissidentes in ea comprehenderentur; si neque profuit anno 1697. Mennonistis, Anabaptistis, Quackeris; (d) cur nam cæteris Dissidentibus in Polonia & Lithuania, hanc ipsam Declarationem, tamquam ex Amnestia Olivensi, cavisse arbitrabimur? Non cavit, mihi credant, non.

59. Vident profecto & sentiunt magnam hujus orationis vim ipsi Dissidentes. Quare eorum nonnulli (nonnullos dico, quod cæterorum honestati probatæ jam & cognitæ per me nihil detractum volo) agere fide malâ non dubitant, istoque modo fortunam tentare. Jgitur alteram Declarationem, velut Fœderis Olivensis, allegant; contenduntque per Suecos ex una parte, per Regem & Rempublicam Poloniæ ex altera, defensionem cautionemque omnium Dissidentium in toto Regno Poloniæ Magnoque Ducatu Lithuaniæ *per separatum Articulum Fœderi Olivensi fuisse insertam.* Atque hoc adeo prospere iisdem cessit, ut cæteris suæ Communionis hominibus publice imposuerint. Res est quidem satis artificiose subtiliterque contexta. Quare oportet, ut in ea extricanda atque evolvenda simus diligentiores, ne quis imprudens impellatur in fraudem, & veritati tenebrae offundantur.

60. Confectus jam erat Tractatus Olivensis, & à Legatis qui aderant subscriptus obsignatusque die 3. Maji 1660. Cum repente Elector Dux Prussiæ questus est, quod in Pacis Instrumento, neque jus in Prussiam à Republica sibi concessum, nec cætera sua jura in Feuda Bitow & Lioburgum, in Elbingam, in

(c) Boehm *Acta Pacis Oliv. T. I. p.* 91. (d) Vide supra *Pag.* 25.

in Draheimum vel memorata essent vel cauta. Tunc Poloni nostri ad Pacem Olivensem Legati, ut Electorem his de rebus tranquillum redderent, eodem ipso die cum Legatis Brandeburgicis *de separato Articulo declaratorio* convenere, in quo prædicta omnia jura Electoris Ducis in Prussia recognoverunt, confirmarunt, subscripserunt; & eundem Articulum *pro inserto & ejusdem roboris cum Instrumento Pacis Olivensis haberi voluerunt & declararunt.* Ad majorem facti explicationem, tollendamque omnem ambiguitatem, juverit Articulum ipsum legentium oc lis subjecisse.

61. ,, Articulus separatus Declarationis Instrumenti Pacis ,, de Amnestia & reintegratione jurium. (e)

,, Nos infrascripti S. R. Mtis Reipublicæque Polonæ ,, ad Tractatus Polono-Suecicos Legati Plenipotentiarii notum fa- ,, cimus, quorum interest, vel ulla ratione interesse potest, uni- ,, versis & singulis. Quandoquidem Instrumento Pacis principali ,, hodie subscripto Articulus Amnestiæ, in quo tam Communi- ,, tatum, quam singulorum jura redintegrantur, forma generali ,, conceptus est, & nulla specialis acquisitorum tam in Prussia ,, Ducali, quam extra eandem Serenissimo Electori Brandeburgi- ,, co per Pacta cum S. R. Majestate Reque-Publica primum Vela- ,, viæ, demum Bydgostiæ inita, ac Constitutione Comitiali ap- ,, probata, suæ Serenitatis Electoralis Jurium, ut pote indepen- ,, dentiæ Ducatûs Prussiæ, condescensionisque in Feudum By- ,, toviensis & Leoburgensis Districtuum in Palatinatu Pomera- ,, niæ existentium, tum & juris competentis in Civitatem El- ,, bingensem, nec non Præfecturam Draheimensem, in eodem fa- ,, cta est mentio: Ne id in præjudicium memoratorum Suæ Se- ,, renitatis Electoralis jurium trahi posset, plures modi ratione ,, inclusionis prædictorum in præfato Articulo Amnestiæ propo- ,, siti fuere. Cum autem Partibus nequaquam satisfacere potuis- ,, sent, tandem prudenti Jllustrissimi & Excellentissimi Dñi Chri- ,, stianissimi Regis Legati mediatione ac indefesso studio maturan- ,, dæ Pacis gratia convenit, ut peculiari Articulo, qui tamen pro ,, inser-

(e) Boehm. *T. I. pag.* 181. *in append.*

„ inserto Pacis Instrumento haberi & ejusdem valoris esse debet,
„ ea ipsa jura Serenissimo Electori caverentur: quod & factum est
„ à Legatione Suetica per sequentem articulum, tenoris hujus-
„ modi.

Legatio Suecica declarat Serenissimi Regis Regnique Sueciæ nomine, ea, quæ Instrumento Pacis, Articulô secundô de redintegratione Jurium disponuntur, non debere concernere Ditiones, Status, Civitates, Terras, & Loca, quæ à Sua Serenitate Electorali possidentur, nec eo trahenda. Neque obstare eundem Articulum quominus Suæ Serenitati Electorali Elbinga, jure quod eidem Suæ Serenitati competere potest, tenenda tradatur, salvis de cætero ejusdem Civitatis Privilegiis & immunitatibus, tam in Ecclesiasticis, quam Politicis, salvo itidem jure retractûs Conventionalis Serenissimo Regi & Reipublicæ Poloniæ, quò ad Elbingam. Qui quidem Articulus tamquam si in ipsô Instrumento Pacis esset insertus, ibidemque cum aliis appositus, ejusdem cum eo valoris, ut supra dictum est, esse haberique debeat.

„ Proinde & Nos infrascripti Legati Commissarii cum ple-
„ na potestate Sac. Reg. Maj. & Reipublicæ eorundem nomine men-
„ tem nostram præsenti itidem Articulo, quem pro inserto &
„ ejusdem cum Instrumento Pacis valoris haberi volumus, decla-
„ ramus, palamque facimus Articulum Amnestiæ generalis in
„ Instrumento pacis contentum, nullatenus esse vel debere Juri-
„ bus Suæ Serenitatis Electoralis tam antiquis, quam noviter
„ acquisitis, & in specie traditioni Elbingensis Civitatis juxta
„ pacta cum Sua Serenitate Electorali inita, derogare, & præ-
„ judicare; immo eadem Pacta in omnibus eorumdem Punctis,
„ Articulis, & Clausulis, salva & integra conservari, & manu-
„ teneri. In cujus rei fidem præsentem Declarationem manibus
„ nostris subscripsimus Sigillisque nostris Gentilitiis roboravi-
„ mus, die 3. Maji Anno Dñi 1660. in Monasterio Olivensi.
„ Joannes Comes de Lesno Palatinus Posnaniensis Majoris Polo-
„ niæ Generalis, Mariæburgensis Korsunensis Capitaneus. Jo-
„ annes Andreas Morsztyn Referendarius Regni. Joannes Gniń-
„ ski Succamerarius Pomeraniæ Capitaneus Gnesnensis. Geor-

 gius

„ gius Lubomirſki Supremus Mareſchalcus , Dux Exercituum
„ Regni. Nicolaus Prażmowſki , Epiſcopus Luceorienſis & Bre-
„ ſtenſis Cancellarius Supremus. Chriſtophorus Pac , Supremus
„ Magni Ducatûs Lithuaniae Cancellarius. Vladislaus Rey ,
„ Theſaurarius Curiæ Regni.

62. En Articulus Declaratorius , quem perſcriptum ſubſcriptumque eo ipſo die , quo die Olivenſis Tractatus fuerat abſolutus , unum ſolum Legati noſtri in eundem Tractatum Olivenſem ſolemniter inſeruere. Et quia ad firmandam ejus vim requirebatur , ut à Rege & Republica Poloniæ ratus omnino haberetur , ſic poſtea ratus eſt habitus ab utriſque ea ratione , quâ mox dicetur. (f) Sed nondum fraudis caput attigimus.

63. Dimiſſo Conventu , Lutherani in primis Arianique in Acta Pacis Olivenſis accuratius inſpicientes , ea ipſa comperiunt, quæ ſupra à nobis ſunt demonſtrata (g). Vident non omnes Diſſidentes Poloniæ & Lithuaniæ Articulo ſecundo de Amneſtia expreſſe nominatos , fruſtraque id Suecos contendiſſe , (h) obſiſtentibus contra Legatis Polonicis , Cæſareis , Pruſſis. Incommodum hoc illis accidit & moleſtum. Item ægre tulerunt verba illa Amneſtiæ fuiſſe inſerta , *ſecundùm Leges Regni.* Ubi enim ſecundùm leges Regni tractandi eſſent Diſſidentes , intelligebant leges veteres Jagellonicas ſuffragio omnium Ordinum perſcriptas & numquam abrogatas , vim omnem ſuam habere & habituras , quibus *ſoli Catholici expreſſè ad honores & juriſdictiones Reipublicæ admittuntur ; clariſſimeque ab iiſdem Hæterodoxi & Schiſmatici excluduntur.* Quid igitur conſilii capiunt ? Novum ſane & feſtivum. Sobothum convolant ad Sueciæ Legatos, qui Paci Olivenſi interfuerant. Difficultatem rerum ſuarum narrant , pericula deſcribunt , auxilium petunt. Tunc Sueci die octavo & vigeſimo ab fœderis Olivenſis abſolutione , in Pago Sobothi , non Olivæ qui locus erat ſanciendi fœderis ; item non conſultis , neque præſentibus Legatis Pruſſis, Cæſareis , Polonis , ne ipſo quidem Mediatore & Cautore Legato Galliæ ; ipſi per ſe, ſuo nomine & arbitrio, alteram Declarationem edidere, cujus eſt hoc exemplar.

64.

(f) Vide infra *Pag:* 44. & 46. (g) *Pag:*. 20. ad 23. (h) *Pag.* 36.

64. „ Declaratio Sac. Reg. Maj. Regnique Sueciæ Legatorum pro pace ac libertate omnium ab Ecclesia Catholico-Romana de Religione in Polonia Dissidentium in Puncto Amnestiæ cauta.

„ Sac. Reg. Maj, Regnique Sueciæ ad pacificationem in Prussia Legati Commissarii Plenipotentiarii. Notum testatum facimus. Quod licet à Religione Romano-Catholica in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ Dissidentes in moderno Instrumento Pacis Suecico-Polonicæ Articulo de Amnestia secundo per expressum non sint nominati; dicta tamen amnestia tam generalis, quam specialis etiam ipsos concernat, eâque ii totâ frui debeant. Neque enim Legationi Sueticæ mens fuit ullas leges antiquas & antiquatas contra *Hæreticos* sic dictos sancitas, vel etiam novis durante hoc bello (quo meritò præsumi potest ac debet nihil esse innovandum) latas, hoc Tractatu confirmandi; sed potius & hac Pacificatione cuncta in eum statum, qui ante hoc bellum fuit, reducantur; nec cuiquam, quod partes Sac. Reg. Maj. Sueciæ, secutus fuerit sub quocumque prætextu noxæ & fraudi sit, efficiendi. Ac proinde declaramus & testamur verba §. II. præfati Articuli *secundum Leges Regni*, ex parte nostra non aliam vel antehac admisisse, vel etiamnum admittere interpretationem posse, quam ut unusquisque sine exceptione, & cujuscumque Statûs, conditionis, aut Religionis sit, gaudere debeat juribus, privilegiis & consuetudinibus, tam in Ecclesiasticis, quam in prophanis *secundum Leges Regni*, sicut ante hoc observatum fuit. In cujus rei fidem præsens Attestatum manibus nostris subscriptum Sigillo Legationis majori roborari fecimus. Sobothi die 31. Maji. Magnus Gabriel de la Gardie. Benedictus Oxestierna. Christophorus Carolus Schlippenbach a Guldenklau.

65. In colligendis Declarationis hujus vitiis non immorabimur, cum vel ipsis Dissidentibus comperta esse debeant. Quod nunc attinet, duplex hic habemus Scriptum. Unum solemne, legitimum, ratum, habitum, quod jura Electoris Brandeburgici cavet, & Olivæ signatum est die 3. Maij 1660. Alterum privatum Suecorum, multisque nominibus vitiosum, quod causæ Dissidentium favet, & Sobothi conflatum est die 31. Maji ejusdem

Anni. Quoniam vero ad fraudis caput jam venimus, ita ne error in verbis oboriatur, illum *Articulum ſeparatum declaratorium*, hanc, *Declarationem Suecicam* appellabimus.

66. Quo deinde pergunt noſtri Diſſidentes? Typis edunt *Suecicam Declarationem.* Deinde ut probent eandem à Rege & Republica Poloniæ ratam fuiſſe factam (ſecus enim nihil valeret) binas *Ratificationes* malitioſe ſubjiciunt, quibus Rex & Reſpublica Fœdus Olivenſe comprobaverunt: quamquam in Volumine Legum noſtrarum non iis expreſſe verbis legantur, quibus in Acta Pacis Olivenſis inveniuntur inſertæ. Forma autem Ratihabitionis Regiæ eſt hæc. (i)

67. *Nos Joannes Caſimirus &c. promittimus & recipimus nomine noſtro Succeſſorum & Poſterorum noſtrorum & Reipublicæ Poloniæ, Nos ſingula & univerſa capita pactis ſupraſcriptis (Olivenſibus) inſerta & comprehenſa, bona & Regia fide approbare & ratihabere, ſicuti hiſce approbamus & ratihabemus: ita tamen ut Articulus* 2dus *inſerti Inſtrumenti Pacis Olivenſis ſecundùm Articulum ſeparatum declaratorium accipiatur: nec paſſuros à noſtris ac Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithuaniæ Vaſallis Officialibus ac ſubditis ullo modo violari &c. Varſaviæ &c.* Altera à Delegatis Reipublicæ ſimul cum Rege facta, quæ incipit: *Nos Senatores & Equeſtris Ordinis &c.* totidem fere verbis conſtat ac Regia. (k)

68. Hoc facto Diſſidentes toti Europæ imponere voluerunt, Regem & Senatum Poloniæ per illa verba Ratihabitionum, *ita tamen, ut Articulus* 2dus *inſerti Inſtrumenti Pacis ſecundùm Articulum ſeparatum declaratorium accipiatur*, Suecicam declarationem ratam & habuiſſe & feciſſe; propterea que Fœdus Olivenſe juribus omnium Diſſidentium in Polonia & Lithuania caviſſe. Sed erit ipſius Europæ, dictâ jam causâ, definire, utrum Reſpublica an Diſſidentes bona fide agant nec ne? Vel libentiſſime judicium hoc illi permittimus. Dico igitur illa Ratihabitionum verba *ad Articulum Separatum declaratorium* unice pertinere; *Suecicam* vero *Declarationem* reſpicere, nec debere, nec poſſe.

69.

(i) Acta Pacis *Tom: I. pag:* 187. *in Append.* (k) Ibidem *pag:* 188.

69. Primo enim; quis est titulus Articuli in Fœdus Olivæ inserti de Electore Duce Prussiæ? Nempe hic: *Articulus separatus declaratorius Articuli secundi Pacis Olivensis.* Quis item titulus Suecicæ Declarationis pro Dissidentibus? Hic certe: *Declaratio Sac. Reg. Maj. Regnique Sueciæ Legatorum pro pace ac libertate &c.* Ergo utrum horum spectent laudatæ *Ratificationes* non aliunde clarius, quam ex ipsarum verbis patebit. Jam vero nonne verba sunt hujusmodi; *ita tamen ut Articulus 2dus inserti Instrumenti Pacis secundum Articulum separatum declaratorium accipiatur?* Cui ergo dubium adhuc esse poterit, quin tales *Ratificationes*, non certe Suecicam Declarationem etiam tum ignotam, sed Articulum separatum Declaratorium significaverint? Equidem si Rex Casimirus, si Respublica Declarationem Suecicam in mente habuissent, profecto scribere debuissent: *Articulus 2dus Pacis Olivensis accipiatur secundùm Declarationem Sac. Reg. Maj. Regnique Sueciæ Legatorum.* Atqui *secundùm Articulum separatum declaratorium*, scripsit: Ergo non illam, sed hunc præ oculis habuit, quem confirmaret.

70 Secundo; fac utramque *Ratificationem* non ad Articulum separatum, sed ad Suecicam Declarationem referri. Ergo Articulus separatus Declaratorius de Electore Duce Prussiæ nondum est ratus habitus. Quid respondissent tunc Ministri Brandeburgici? Quid respondissent? inquam; volo enim audire. Si dixissent Articulum ratum esse factum, ergo neutra ratihabitio ad Suecicam Declarationem pertinuit. Si vero respondissent comprobatam ibi esse Suecicam declarationem, ergo falsum est, ab Fœdere Olivensi juribus Electoris Brandeburgici fuisse provisum. Atqui hoc ipsi noluerunt: ergo valebit alterum, nempe in allatis *ratificationibus* nihil de Suecica declaratione esse definitum.

71. Neque illud obstat, quod in Ratihabitione Fœderis Olivensis facta à Vilhelmo Electore Prussiæ legatur, juxta *declarationem*, non juxta *Articulum*. Etenim nemo erit ita plumbeus, qui non sentiat dissimilitudinem esse in verbis, non in re & sententia? Quid enim Electoris Prussiæ interesset declarationem Suecicam ratam facere, quæ ipsum nil attingebat? Contra vero, cum

per

per Fœdus Olivense suis juribus cautum vellet, ratio evincit, ipsum debuisse dumtaxat Articulum declaratorium respicere; ideoque vocabulum *Declarationem* pro *Articulo* usurpavisse.

72. Tertio demùm, quæ mens fuerit Regis Senatusque, colligant aliquando ex Volumine Legum nostrarum, cujus de fide & auctoritate ne ipsi quidem adversarii dubitaverint. *Tomo IV. pag:* 755. Rex ratum habiturus Olivensem Tractatum ita inquit: *Significamus* &c. *quod cum Reipub icæ Commissarii ad Tractatus Pacis perpetuæ Olivæ Institutos, Illustrissimis* &c. *Et Serenissimi Regis Commissariis Articulum separatum declaratorium Articuli 2di, qui de Amnestia & redintegratione Jurium in Instrumento Pacis habetur, ut sequitur, addiderint; isque à partibus acceptatus sit &c.* Deinde totum Articulum Ratihabitioni suæ inserit, ut supra à nobis exscriptus est. Denique ita approbat & ratum habet: *Nos præmissum Articulum, omniaque & singula in eo comprehensa capita approbamus & ratihabemus; ita ut ejusdem auctoritatis cum Instrumento principali esse debeat & haberi.* Ratihabitioni huic Regiæ respondet altera Senatorum, quæ iisdem ac totidem verbis legitur *pag:* 758. His vero testibus, quibus locupletiores citari nequeunt, quid habent, quod objiciant Dissidentes? Vident ne rem eo perductam, ut, velint nolint, ipsi quoque fateri debeant, *Declarationem Suecicam* neque à Rege, neque à Senatu Poloniæ ratam habitam, omni vi virtuteque destitui, ipsamque per se dilabi atque concidere?

73. En igitur Suecica Declaratio, quam nimio plus ostentant Dissidentes, quamque nullius ipsis esse momenti atque opis nos jure contendimus. Ac primum inspiciamus, qua occasione ea prodierit. Hujus rei nec certius, nec tutius habere possumus testimonium, quam ex Suecicæ ipsius Legationis Diario, per citatum Boehmium edito. Ibi enim P. II. pag: 392. legitur: „ Actum
„ Sobothi die 4. Junii post meridiem. Post multas sol-
„ licitudines Stanislai Lubieniecki pro Unitariis, quia hactenus
„ per totum Tractatuum tempus tam in Pomerania, quam Elbin-
„ gæ, (unde per Salvum Conductum suarum Excellentiarum DD.
„ Legatorum, sub nomine Aulici, ad Legationem Suecicam per-

„ tinen-

„ tinentis, ad nos pervenerat), & Sobothi, ac tandem Olivæ
„ quoque, ut paci includerentur, negotium gesserat, præmemo-
„ rati Jllustrissimi atque Excellmi DD: Legati subscribunt Decla-
„ rationem ad §. 2. Artic: II. Jnstrumenti Pacis, pro Dissiden-
„ tibus à Religione Romano-Catholica in Polonia: quæ ipsi qui-
„ dem perlegenda communicabitur, Secretario autem Legationis
„ mandatur, ne extradat, antequam evacuationes omnium in
„ Pomerania, Megapoli, & Holsatia Ducali Slesvicensi factæ
„ fuissent. Data autem est Declaratio 31. Maji 1660. „

Animadvertendum vero est, Declarationem hanc non ex eo fuisse factam, quod Tractatûs Olivensis partem ea constitueret, quodque Legatis Mediatoris, aliorumque contrahentium communicaretur; quin etiam adeo diligenter ac religiose servata est, ut Secretario Legationis mandaretur, ne ulli eam perlegeret, nisi uni Lubienieccio, neque extraderet, nisi post factas ex locis supramemoratis evacuationes. Procedit Diarium ipsum usque ad 25. Mensis Augusti, hoc est ad quatuor fere Menses post absolutum Fœderis Tractatum, ut usque ad tempus, quo ipsorum ratihabitiones inter contrahentes Monarchas commutatæ vicissim fuerunt; neque amplius ulla de ejusdem Declarationis traditione vel publicatione facta mentio reperitur. Quî igitur privatum & clandestinum Actum, ad importunas Lubieniecci instantias subscriptum, nulli ex contrahentibus Partibus cognitum, imo ita clam habitum, ut Dissidentibus ipsis tum lateret, quî, inquam, ipsius Tractatûs partem constituere nunc debere existimabitur?

74. Jtaque ut paucis tandem colligam, quæ hactenus dicta sunt, Amnestia Olivensis nullo modo omnibus generatim in Polonia & Lithuania Dissidentibus favit. Cavit iis dumtaxat, qui belli Suecico-Poloni tempore, aut Suecos secuti sunt, aut in Suecorum potestatem venere: quibus tamen amissa jura eâ conditione restituit, ut iis non in totum, sed juxta leges Regni fruerentur. Respublica quod debebat utrisque sancte adeo religioseque exsolvit, ut Civitates Prussiæ palam & ingenue usque ad An: 1767. fassæ fuerint, se nullam injuriam in libero Religionis suæ exercitio à Republica passas fuisse: omnia sibi juxta Fœdus Olivense à nobis

præ-

præſtita conſervataque fuiſſe. Quamobrem multo intolerabilior videtur ipſorum Diſſidentium conatus, qui nullo jure muniti, nulla lege ſuffulti, contra jus, fas, leges, Rempublicam vexarunt, hoſtiliterque dilacerarunt: tum vero importunitas; in exteris Principibus excitandis ut quacumque ope poſſint, juribus ipſorum caveant; cum nec Ruſſi Tractatui Olivenſi interfuerint; nec Duces in Pruſſia, multoque minus Angli, Dani, Batavi in eodem Tractatu hoc ſibi oneris impoſuerint, ut vel armis jura Diſſidentium in Polonia, & Lithuania defenderent.

COMMISSIO HADIACENSIS.

75. Defecerant à Republica Polonorum Coſaci. Viſi ſunt poſtea ad ſanitatem, & officium redire velle. Initus eſt ergo Tractatus Hadiaci (*) eorum inter Procuratores, & Legatos Reipublicæ. In hoc Conventu Articuli quidam propoſiti ſunt Græcæ Non-Unitorum Religioni vel maxime utiles & percommodi, quibus firmatis pax inter utroſque conciliaretur. Hujuſmodi nunc Articulos objiciunt nobis Acatholici Non-Uniti, petuntque ut datam ipſis fidem ſuam liberet Reſpublica. Sed nullius erit negotii leviſſimas iſtorum voces refellere.

76. Etenim poſt abſolutum Hadiacenſem, quem ipſi vocant, Tractatum; Coſaci in defectionis crimen iterum relapſi ſunt, totâque cum Ukraina jugum Poloniæ penitus excuſſere. Sunt igitur jam defectores, jam ab legitimo imperio ſe ſubduxerunt. Cur ergo pacta & promiſſa exigunt à Republica homines, qui Reipublicæ non amplius ſubſunt, & qui licet ad officium redirent, de novis tamen conditionibus eſſet cogitandum, quibus in gratiam reciperentur?

77. Sed nec promiſſa fecit Reſpublica, nec fidem ſuam obligavit. Propoſitis enim Articulis Hadiacenſibus ex conſenſu par-

(*) Vide Rouſſet *Supplement au Corps Diplomatique* Tom II. Part. I. pag: 372.

partium adjecta est clausula, ut iidem in proximis Comitiis (erat tunc Annus 1658) confirmarentur. Ergo nisi fuissent à Republica rati habiti, nunquam fides publica intercessisset. Jam verò neque Comitia, quæ mox consecuta sunt, neque alia deinceps tales Articulos comprobarunt. Ergo stultum est exigere à nobis, quæ non promisimus.

78. Sed hoc dissimulare ne ipse quidem potuit Lengnichius, qui in Commentario *ad Pacta Conventa* Augusti III. Artic: 5. de Conventu Hadiacensi scripsit: *Secuta An:* 1658 *Commissio Hadiacensis, Græcis admodum favens; nihilominus An:* 1668. *in Confœderatione Generali Ordines compositionem futuro Regnanti diligenter se commendaturos promiserunt: & electus in Regem Michaël, per Pacta Conventa pollicitus, eandem in Coronatione sua, secundum jura antiqua utriusque partis efficere, & ad executionem per Commissarios deducere.* Tunc igitur de Articulis Hadiacensibus nihil; Græcisque Non-Unitis de hoc uno satis est factum, ut cùm primum licuisset, quærelarum suarum caussæ, juxta partis utriusque jura, expenderentur.

Quod si ex Hadiacensi Tractatu nullum jus quæsitum est Græcis, perperam profecto agunt, dum pro iis vindicandis laborant.

TRACTATUS MOSCHUS,

Vulgò

GRZYMUŁTOVIANUS.

79. Hic Tractatus (quem à Grżymułtovio Palatino Posnaniæ ad Aulam Russicam, Poloni semper *Grżymułtovianum* dixerunt) post bellum gravissimum & diuturnum initus est Polonos inter, & Moschos Anno 1686. In eo cum de cavenda *Non-Unitorum* sive Græcorum Schismaticorum Religione potissimum ageretur, utrinque istud etiam convenit, quod *in quibus locis inveniebatur & nunc invenitur usus Religionis Græco-Ruthenæ, & omnibus ibi habitantibus hominibus in Regno Poloniæ & M. D. Lithuaniæ in hac Religione persistentibus, nullam vexationem* (REX) *facit, neque facere*

jubebit; nec ut cogantur ad Fidem Romanam & Unionem: & hoc non fiet in futurum; sed secundùm antiqua jura in omnibus libertatibus & immunitatibus Ecclesiasticis conservabit. Fautores Dissidentium Polonos provocant ad hæc Pacta, non secus ac si per ea Dissidentibus publicè cautum esset. Sed qui paullo attentius rem introspexerit, plane sentiet, Fœdus Moschum Dissidentibus nihil penitus prodesse, ad eosque nullo plane modo spectare.

80. Nemo negabit oportere, ut Fœdus quodcumque à suprema auctoritate ratum habeatur & fiat, neutramque partem ullo modo in eo pactis adstringi, donec solemnis hæc ratihabitio accesserit. Enimvero Respublica nonnisi Comitiis Anni 1764. Grżymułtoviana Pacta comprobavit: igitur jure non potuit ante id tempus observantiâ illorum obstringi, atque obligari.

81. Equidem habitum est Magnum Consilium Varsaviense Anno 1710. Tum primum in eo publicè mandatum est, ut Pacta Grzymułtoviana, unàque cum illis Pacta alia Działyniana Anni 1704, *inter Sancita illius Consilii* typis ederentur. In Pactis vero Działynianis præter alias conditiones Polonæ Reipublicæ appromissas sic erat perscriptum: *Sua Cæsarea Majestas* (Petrus nempe Magnus Moschorum Imperator) *quemadmodum his temporibus non modo in Livonia, sed & in aliis partibus victricia arma circumfert; ita ea in posterum hac ratione geret: nempe omnia hæc Fortalitia, Urbes, & Castra, quæ sunt in Ducatu Livoniæ, pertinentibusque ad illam Ditionibus, & quidquid Reipublicæ Poloniæ fuit subjectum, à Sua autem Cæsarea Majestate armis occupari potest; Sæ. Ræ. Mtti. & Serenissimæ Reipublicæ Polonæ sine ulla mercede & lucro reddet, & cedet.*

82. Quid ergo agit Respublica Anno 1710. in Consilio illo Magno Varsaviensi? Utrumque Tractatum & Grżymułtovianum Anni 1686. & Działynianum Anni 1704. confirmavit, utrumque Constitutionibus suis inseruit; ita tamen, ut non nisi post impletas conditiones in Pactis Działynianis sponsas, Tractatum Grżymułtovianum habere ratum voluerit. En Constitutionis verba:

83 *Quandoquidem nomine Suæ Cæsareæ Majestatis Russiæ Legatus Plenipotentiarius Princeps Dołgoruki requisiverit à nobis & Repu-*

& Republica confirmationem Tractatuum novissimi perpetui (Grżymuľtoviani) *& temporanei* (Działyniani) *qui respicit bellum praesens adversus Carolum Regem Sueciae, vigoreque facultatis ad eum finem desuper sibi datae oretenus & in scripto declaraverit, nosque certiores fecerit, quod memoratus uterque Tractatus ex parte Suae Caesareae Majestatis in omnibus Punctis, Articulis, & Paragraphis, quemadmodum & posteriores promissiones, Declarationes & Sponsiones singulae, omnimode implebuntur ac manutenebuntur; praecipuè quod attinet ad evacuationem Exercitûs Moschovitici, eductionem illius in regionem hostilem aut in ditiones suas, redditionem fortalitiorum, tormentorum bellicorum ad Rempublicam pertinentium, solutionem Millionum pro Exercitu, aliaque puncta ibidem contenta: Nos igitur nixi fundamento huic, & sub executione harum conditionum implendarum, volentes testificari Suae Caesareae Majestati mutuam nostram amicitiam & Ordinum Reipublicae, memoratum utrumque Tractatum (salva integritate Religionis Sanctae Romano-Catholicae utriusque Ritus Latini & Graeci juxta statum & conditionem, in quo nunc sunt) non modo auctoritate praesentis Magni Consilii nostri corroboramus & confirmamus, & Constitutionibus praesentibus inseri ac imprimi typo permittimus, sed praeterea in Comitiis Deo dante futuris idipsum complere pollicemur; quod tamen Pactis Carlovicensibus cum Porta Ottomanica initis fraudi esse non debet.*

84. Plura autem ex his verbis colligo, scilicet Tractatum Grżymuľtovianum ad Annum usque 1710. publica auctoritate caruisse; ad hanc illi impertiendam intercedere debuisse Comitia, quae tamen nondum intercesserant; cum in allata Constitutione dicatur: *in Comitiis Deo dante futuris id ipsum complere pollicemur;* Denique Tractatum ipsum *sub executione conditionum implendarum corroboratum fuisse confirmatumque.* Cum autem eae impletae minime fuerint, idcirco ex Constitutione Varsaviensi Anni 1710. nihil roboris, nihil auctoritatis Tractatui Grżymuľtoviano accessisse.

85. Secutus deinde est Tractatus Anni 1716, inter Rempublicam & Augustum II. Regem, Mediatore Petro Magno. Secuta item Comitia Anni 1717, itemque alia Ann: 1718. Verum, cum non placuisset quaestionem de Livonia restituenda excitare,

quod esset periculosa; ita, licet non semel inprimisque sub Augusto Secundo, & Legati Russiæ, & Senatores Nostri Comitialem hanc Fœderis Grżymułtoviani confirmationem privatim urgerent, tamen neque in binis his Comitiis, neque in aliis quæ consecuta sunt, quidquam est definitum. Negotium in Livoniæ restitutione semper hæsit, donec in Comitiis Convocationis, tempore Interregni habitis Anno 1764. Fœdus Grżymułtovianum ratum tandem à Republica haberetur.

86. Dicet aliquis: quorsum hæc oratio pertinet? Eò sane, ut illud intelligatur, quod, quamvis Respublica ab Anno 1686 ad Annum usque 1764. aliquid sanxisset egissetque Pactis Grżymułtovianis contrarium, nullo tamen jure violati Grżymułtoviani Fœderis posset insimulari; multo etiam minus, quod Constitutio Varsaviensis Anni 1710. hanc quoque conditionem adjecerat: *Salva integritate Religionis Sanctæ Romano-Catholicæ utriusque Ritus Latini & Græci juxta statum & conditionem in quo nunc sunt.* Itaque (exempli caussà) si Non-Unitos ad Religionem Catholico-Romanam amplectendam per id tempus coëgisset, certe contra justitiam, æquitatem, humanamque libertatem fecisset; numquam tamen contra Tractatum Grżymułtovianum peccasset, qui non nisi Anno 1764. vim & auctoritatem publicam est assecutus.

87. Sed quid de Reipublicæ peccatis loquor, quæ licet nullo Fœderis vinculo teneretur, tamen, quæcumque in Pactis Grżymułtovianis erat perscriptum, & castissime, & sanctissime præstitit? Quis Non-Unitos nomine Religionis, lege interrogavit? quis lacessivit, aut ulla affecit injuria? Respublica ne antiquam eorum libertatem, immunitatemque aut sustulit, aut circumscripsit? Quot Græcorum privati (Non-Unitos intelligo) in Polonia & Lithuania, tuto in sua Religione vivunt, ritusque suos tranquille exercent? Quænam eorundem Monasteria, quænam Ecclesiæ priscis immunitatibus non gaudent? Ad hoc: in Tractatu Moscho de immunitatibus Ecclesiasticis, deque Religionis libertate, tota erat cautio: de prerogativis Civilibus nulla mentio. Nihilominus Non-Uniti complures, Nobiles, Cives, Rustici, eorumque Sacerdotes, hodie his utuntur, atque à nobis ut utantur permittitur.

titur. Quod si deinceps nonnulli Græcorum hujus generis, si Metropolita Græci-Ritus, si cum Monasteriis & Ecclesiis suis Episcopi aliquot, ut Luceoriensis, Haliciensis, Præmisliensis, & Leopoliensis, quos Pacta Grżymuſtoviana memorabant, experrecti sunt aliquando: & sive Joannis III. Regis suasionibus, sive Sacerdotum nostrorum consiliis tandem cessere, ut se ad Fidem Catholico-Romanam, à qua pluries superioribus temporibus defecerant, demum conferrent, atque ad Unionem, quasi jure postliminii, redirent; notum est omnibus, eos non ulla vi compulsos, sed sponte sua adductos istud fecisse. Quid? Si ultrò accedentes in sinum Orthodoxœ Religionis exceperit, etiamne id crimini tribuetur Reipublicæ, non secus ac si Non-Unitos ad Unionem vi compulisset? Etiam ne contra Fœdus Grżymuſtovianum hoc facto fecisse judicabitur? Nihil minus. Hoc enim esset, non Græcis Non-Unitis cavere velle, sed jura Catholicorum *ab stirpe* evellere.

88. Atque hæc Polonorum in servandis pactis religio, non dubia, non obscura, sed publicis inusta notis veritatis. Quæratur potius, utrum Non-Uniti pari fide Catholicos eorum locorum habuerint, quæ loca ex Tractatu Moscho in Russiæ potestatem veniebant? Promittebant quidem Poloni se, nec quempiam Non-Unitorum injuria ulla oppressuros, nec ad Religionem Romanam, Unionemque adacturos. Sed vicissim spondebant Russi in hæc verba: *Similiter mutuo Sæ. Czareæ Majestatis hominibus (aliàs subditis), & Religioni Romanæ in Dominiis Czareæ Majestatis, maxime in Statibus nunc à Polonia avulsis, à Czarea Majestate ratione alicujus Fidei non fiet injuria, aut ad aliam Fidem amplectendam coactio; quinimo habebunt omnimodam libertatem hanc Fidem sectando, & in bonis suis nullum inde impedimentum aut detrimentum non patiendo in favoribus Sæ. Czareæ Majestatis, nullum inde damnum habebunt: & Religionis suæ liber usus in domibus suis est licitus.* Quæretur nunc, utrum Catholici, qui in Russorum ditionem tunc transierunt, promissa libertate ac privilegiis fuerint libere gavisi? Quid est, quare in iis provinciis, quas tunc Russis cesserunt Poloni, Religio Catholica omnino conciderit? Sed res plena invidiæ, aliorum inquisitioni relinquatur.

89.

89. Nobis est propositum fidem Polonorum vindicare. Dixi à principio : Fœdus Moschum nulli præsidio Dissidentibus fore ; & patrocinium quod acceperunt Russi, nullo ex jure nullaque ex lege præcedentium Tractatuum accepisse.

ACTA ALIA

ANNI MDCLXXXVI. ET MDCCXVI.

90. Hactenus de prætensis juribus Dissidentium. Nunc separatim dicendum est aliquid de eorum cautione & patrocinio, quod nostri Dissidentes putant Externis Principibus fide publica impositum fuisse.

91. Vidimus suo loco (a) Rempublicam ab omni tutela Religionum in Polonia Suecos palam & publice prohibuisse. Prussi, fortasse ad id se compulsos arbitrabuntur vi Fœderis, quod inter Carolum XI. Sueciæ Regem, & Fridericum Vilhelmum Electorem Brandeburgicum initum est An. 1686. (b) In eo etiam istud convenerat : *Et quoniam amborum quoque Confœderatorum plurimum interest in vicinia, præsertim vero in Polonia tranquillitatem pacemque manere inconcussam ; eidem conservandæ atque tuendæ communem sedulamque operam impendent, prospecturi, quà fieri poterit, ut Regno Reiquepublicæ Poloniæ, quocumque eveniente casu, jura atque privilegia relinquantur integra atque illibata.*

92. Mitto Articulum hujusmodi Fœderis ad annos decem fuisse sancitum : idque ignarâ & inconsultâ Republicâ. Si Dissidentes nihilominus Prussorum patrocinium eo nomine petunt, quæro ex ipsis, an collecta Dissidentium manus, ea sit Regnum, ea sit Poloniæ Respublica ? Quid ? Immitti Dissidentes in liberum Religionis suæ exercitium, in Senatum, in Conclave Nuntiorum, in honores & Magistratus, in omnia denique jura Catholicorum, unde per avitas leges arcentur (c), esset ne *prospicere, ut Regno Rei-*

(a) Vide supra Pag: 32. & sequ: (b) Dumont Tom VII. pag: 125.
(c) Pag: 24. & sequ.

Reique publicæ Poloniæ jura atque privilegia integra & illibata relinquantur? Gratiâ, opibus, vi in Patriam consurgere, erunt ne ipsis egregia merita, ut patrocinium jure quærere possint ab illo *cujus plurimum intersit, in Polonia præsertim tranquillitatem pacemque manere inconcussam,* quique declaravit *eidem conservandæ atque tuendæ sedulam operam impendisse?* Si vellent leges, jura, instituta Reipublicæ labefactare, perdere, extinguere; quid amplius facerent? Hoverbequium illum suum recordantur (a), qui Suecis tutelam Religionum in Polonia petentibus dum repugnaret, *ad Religionem*, ajebat, *cujusque in Regno Poloniæ stabiliendam, non opus esse alieno patrocinio, nec ullum admitti oportere.*

93. Sed nec ad Russorum patrocinium jure confugere possunt nostri Dissidentes licet *Cautores* eos dicant Fœderis quod initum Anno 1716. fuit inter Augustum Regem II. ac Rempublicam Polonam. Dico enim in eo Petrum Magnum, sive Russos, non *Cautoris*, sed *Mediatoris* personam sustinuisse. Pussumne testimonio uti locupletiore, quam sint verba ipsius Fœderis? En verba. *Ad amica officia Serenissimæ Majestatis* (nempe Petri Magni Jmperatoris) *per Excell: Dnum Dołgoruki de pace generali admissa cogitatio, in eumque finem* &c. *Tractatum reassumpserunt.* In fine vero eadem Fœdera à Russis subscripta legimus: *In quorum fidem hoc Instrumentum à Mediatore ac Plenipotentiariis subscriptione munitum est. Princeps Georgius Dołgoruki.* Si igitur nihil, præter *amica officia*, memoratur, nihil, præter nomen *Mediatoris* adscribitur, unde sponsionem istam cautionemque à Russis factam Dissidentes effingent, confirmabuntque? Poterunt quidem Russi ut Mediatores, precibus, officio, gratiâ Dissidentibus præsto esse; Sed pro iis pugnare jure fœderum, uti Cautores, non poterunt. Rem ita esse, factum brevi declaravit.

94. Grodnæ Anno 1718. inter Nuntios inventus est unus ex Dissidentium secta, ad Regni consilium à Vielunensibus missus. Is contendentibus cæteris Nuntiis, Rege & universo Senatu assentiente, à Nuntiorum Conclavi ejectus est. Item paullo post novo decreto aditus in Conclave Nuntiorum cuivis Dissidenti per-

(a) Vide supra *Pag:* 34.

perpetuò eſt interclusus. Audivit hæc Petrus Imperator; Legatus ejus, qui præsens aderat, vidit. Quale tum tempus, quam aptum, quam præclarum fuiſſet, reconditum hoc telum cautionis recentiſſimæ educendi, contraque jure pugnandi! Legatus tamen Petri Magni Moschorum Imperatoris conticuit, tulit, paſſus eſt: quod certe non feciſſet, ſi Fœderis anni 1716. non Mediatores Ruſſos, ſed Cautores judicaviſſet.

95. Quid, ſi hanc Ruſſorum cautionem liberaliter Diſſidentibus donavero? Ergone cauſſæ ſuæ ſatis conſultum arbitrabuntur? Quid enim tandem in illo Fœdere ſub Petro Magno vel cautore vel Mediatore, ad rem noſtram perſcriptum erat? *Siquidem in Regno Poloniæ Orthodoxo, adnexiſque Provinciis maximus circa Fidem Romanam Catholicam ſemper eluceſcere conſuevit zelus, prout Cardinales leges eo nomine ſancitæ, reſpectivè verò in Confœderationibus Anni 1632. 1648. 1668. 1674. id teſtantur, ita ut Diſſidentibus in Religione Chriſtiana præter antiqua Fana, vulgò Zbory, erigere non liceat, ſed commorantibus in Civitatibus, Oppidis, aliisque locis Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniae, privatim non niſi in ſuis hoſpitiis vel domibus vacare devotioni ſuæ, abſque tamen prædicationibus & cantationibus indultum ſit; ideo reaſſumendo omnes veteres leges exceptionesque reſpective Moſchoviticas ſtabilitum eſt, quatenus, ſi quæ hactenus Fana, vulgo Zbory poſt & contra prædictas leges in Civitatibus, Oppidis, Villis, ipſis Curiis noviter erecta, demoliantur ſine ullo impedimento; iiſque, qui hujuſmodi diverſas opiniones circa Religionem profitentur, nullos actus conventusque publicos ſive privatos, nullasque in iis prædicationes & cantationes, durante bello præsenti Suecico indebite ac abuſive practitatas, congregatim facere licebit. Si qui autem conventus hujusmodi ac devotiones clam aut palam exercere, aut Doctores, ſectarios, prædicantes ad exercendos ſuos ritus pertrahere, vel ſponte venientes ſuſcipere præſumpſerint, deprehenſi in eo, primo mulcta pecuniaria, deinde carcere, tertia vice relegatione unà cum ſuis prædicantibus puniri debebunt, tam per Illuſtriſſimos Mareſchalcos Regni & Magni Ducatûs Lithuaniæ, quam per Capitaneos locorum vel per Judicia Tribunalitia, exceptis nihilominus ſolis extraneo-*

rum

rum Principum Ministris , qui devotiones ritu suo pro se & domesticis tantum suis exercere privatim poterant ; ita tamen , ut aliis ad easdem devotiones sub pœnis superius præscriptis accedere non sit permissum. Habes articulum quartum fœderis. Confer nunc quæ hic permittuntur , cum iis , quæ repetere possent pro Dissidentibus Russi , Fœderis hujus , si ita placet , Cautores. Nonne præter liberum Religionis suæ exercitium, quædam etiam Dissidentium jura ad Senatum & Conclave Nuntiorum defensuros se pollicentur , licet nihil tale , ne adumbratum quidem, in toto isto Fœdere contineatur ? Id autem conari , erit ne Russorum cautione uti velle, vel potius eos ad ipsum Fœdus infringendum atque oppugnandum impellere ? Quem volunt appellent. Si liber est , contra ipsos certissime judicabit.

96, His expediti difficultatibus , alterum caput implexum certe & salebris plenum aggredi cogimur. Externi Principes Acatholici , ab ipso fœdere Olivensi ad hæc usque tempora, defensionem Dissidentium in Polonia suscepisse dicuntur : quin immo eorum nonnulli , ut Angli , Dani , Moschi , mutuo fœdere se obstrinxisse, ut nihil prætermitterent , quominus vel invita Republica & dominante in ea Catholica Religione , Dissidentes apud nos , ne dum ad plenam Religionum libertatem , sed ad æqualitatem omnium omnino jurium admitterentur. Horum utrumque magnum certe videtur : sed , si propius accesserimus, re multo mitiora , quam specie sint comperiemus. A primo exordiamur.

97. Fatebor in rebus Dissidentium fuisse aliquando interposita officia Principum , quemadmodum in caussa Thorunensium accidisse memoriæ proditum est. Supplicio trium & decem civium, qui duces defectorum fuerant , illatam Catholicæ Religioni injuriam Respublica vindicaverat. Cum id Anglis & Moschis importunum atque crudele visum esset , studium auctoritatemque suam pro Thorunensibus sic interposuerunt , ut nobis etiam minitarentur. Composita tamen res est amice , & brevi omnis querelarum caussa sublata. Cæterum vel illo , vel alio quopiam tempore externos Principes ita pro Dissidentibus laborasse , ut libertatem Re-

ligionum & æqualitatem jurium cum Catholicis à Republica efflagitaverint, inauditum prorſus eſt, ac recens inventum.

98. Conſulantur monumenta rerum Polonicarum, & publicæ Fœderum tabulæ, & Acta Comitiorum, & volumina ipſa Legum. Nihil ſimile invenietur, neque ſub Joanne Caſimiro Rege, neque ſub Michàéle, neque ſub Joanne Tertio, neque ſub ipſo Auguſto Secundo, neque demum memoriâ noſtrâ toto Regno Auguſti Tertii. Et tamen quam multæ & magnæ opportunitates ſuſcipiendæ hujus defenſionis fuerunt!

99. Ne antiquiora repetamus, anno 1716. plura contra Diſſidentium de Religione libertatem decreta ſunt. Anno 1718. Nuntii gradû privatus eſt Nuntius Vielunenſis; iterumque Diſſidentes à Nuntiorum dignitate prohibiti: prohibiti quoque ſunt à dignitatibus & Præfecturis Anno 1733, iſtaque lex anno 1736. publice confirmata. Neque omittendum eſt, quod his ipſis Comitiis contigiſſe legimus. Electus fuerat Nuntius à Palatinatu Livoniae Kayſerlingus frater Comitis Kayſerlingi, qui Legatus Ruſſiæ ad eadem Comitia venerat. Nuntii ad unum omnes declarant admitti nullo modo poſſe Lutheranum hominum Nuntium Livoniæ Kayſerlingum: cumque de facie ipſum non noſſent, errore ducti, ejus loco Hilzen adoriuntur, interrogantque, *ille ne eſſet Nuntius Auguſtanæ Confeſſionis*; cumque Hilzen *eſſe ſe Nuntium & Auguſtanæ Confeſſionis* reſpondiſſet, tunc omnes in eum vehementer commoti, jubent ſtatim à Conclavi diſcedere. Sed jocus erat in verbis. Is enim *pro Auguſtana*, non Lutheranorum Confeſſionem, ſed *partes Auguſti* Regis intelligebat. Jtaque cum paullo poſt ſubridens dixiſſet *eſſe ſe Auguſtanæ*, non *Stanislavianæ Confeſſionis* ſeu partium, *& æque ac illos ſe eſſe Catholicum*: hoc audito, ſedati ſunt animi, indignatio omnis reſtincta. Sed Kayſerlingus Ruſſiæ Legatus omni officiorum genere inſtitit, ut frater inter Nuntios reciperetur. Verum omnes conatus fruſtra ceſſere. Rege ipſo aſſentiente Kayſerlingus à Conclavi motus eſt. Similia his cætera ſileantur. Cum autem hæc omnia graviter in Diſſidentes à Republica & decernerentur & agerentur, doceant adverſarii Legatos

Ruſſiæ

Russiæ, Angliæ, Hollandiæ, Prussiæ, Daniæ, Sueciæ, qui præsentes videbant, contra tunc dixisse, repugnasse, reclamavisse *violata esse fœdera, leges corruptas, erepta Dissidentibus jura.* Doceant, inquam, si possunt. Nusquam scriptum legent.

100. Quid? quod ipsi Dissidentes, cum à Conclavi Nuntiorum Ann: 1718, & 1736. arcerentur, clam vel palam ut libuit, contra quidem testati sunt; quæ res sive justa sive injusta, cuivis est libera: quamquam ei, qui bonâ caussâ careat, jus certe melius non tribuat. Verum ab integro fere sæculo, quando nam de ereptis sibi juribus publice conquesti sunt? quando nam de suo in Senatum & in Conclave Nuntiorum reditu cum Ordinibus egerunt? Nunc primum, nunc sua hæc jura ficte ad libidinem repetunt, de quibus sanè impertiendis, nec Respublica unquam cogitavit, neque Externi Principes expetiverunt. Falsum est ergo ab Externis Principibus pro Dissidentium de Religione libertate, & jurium cum Catholicis æqualitate ante hæc tempora esse pugnatum.

101. Extremum quod erat, paucissimis absolvam. Si nuper Externi quidam Principes mutuo inter se fœdere ad hoc conspirarunt, ut Dissidentes in jura nostra & Sacra & Civilia immitterent, foverent opibus, armis sustentarent, meminerint: hoc exemplo jus esse factum cæteris populis ac Principibus, ut possint & in externa Regna vi irrumpere, & perculsâ, quæ dominatur, Religione, in eadem quamcumque velint invehere; Nulli Principum licere in alterius, qui per se suoque arbitratu vivat, leges, jura atque instituta invadere: id enim est securim juri Gentium infligere, & communium legum propugnacula inflammare, exscindere, funestare; Gentem Polonam in Fœdere Olivensi, assentientibus Legatis Cæsareis, Prussis, & supremo fœderis Cautore Legato Galliæ, tutelam Religionum in Polonia à Suecis propositam & expetitam constantissime rejecisse, quod eandem & iniquam & intolerandam cognoverit; Majestatem Principum, qui legum custodes sunt ac vindices, nihil magis dedecere, quam ea attentare, quæ vim præ-

ſeferant, publicam ſecuritatem imminuant, Gentiumque morem convellant.

102. Tandem, id quod ad animos noſtros erigendos confirmandosque valet plurimum, meminerint, Nos eum divinitus habere Regem, Filium Patriæ, & in ſinu Fidei Orthodoxæ natum educatumque, qui ad optima quæque, cum naturâ tum induſtriâ plane factus; quod domi militiæque, cariſſimus ſuis, exteris probatiſſimus, pietate, liberalitate, ſapientia; emendatis moribus, amplificato commercio, artibus reſtitutis, ad veram nominis immortalitatem virtutis viâ graſſatur; non feret, non ſinet, ullâ vi ſive externâ, ſive domeſticâ, avitam Religionem, Statum Reipublicæ, omnia denique Divina & humana, ſe vivo, miſceri impunè ac perturbari.

JNDEX RERUM.

Ex

Ex iisdem

Cæterum

FINIS INDICIS.